

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY
VE RI TAS
FROM THE LIBRARY OF
COUNT PAUL RIANT
MEMBER OF THE
INSTITUTE OF FRANCE
HISTORIAN OF THE
LATIN EAST
MDCCCC
GIFT OF J. RANDOLPH COOLIDGE
AND ARCHIBALD CARY COOLIDGE
E.H.G. 1900

DE

MARINI SANUTI

VITA ET SCRIPTIS

THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

A. POSTANSQUE,

IN EADEM FACULTATE JAM LICENTIATUS,

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS.

> Les croisades de la Terre Sainte dégénérèrent aussi avec le temps en affaires temporelles dont la religion n'était plus que le prétexte ... Je crois en avoir une preuve dans le livre du vénitien Sanuto, intitulé : *Les Secrets des fidèles de la croix*.
>
> (FLEURY, *Hist. eccl.*, VI[e] discours, 13.)
>
> Les grands génies qui ont regardé la carte du monde ont tous pensé à l'Égypte.
>
> (M. THIERS, *Hist. de la rév. franç.*, IX.)

MONSPELII,

E TYPIS JOHANNIS MARTEL, NATU MAJORIS.

1855

Thorin 1874 ; 1,50

DE

MARINI SANUTI

VITA ET SCRIPTIS

THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

A. POSTANSQUE,

IN EADEM FACULTATE JAM LICENTIATUS,

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS.

Les croisades de la Terre Sainte dégénérèrent aussi avec le temps en affaires temporelles dont la religion n'était plus que le prétexte ... Je crois en avoir une preuve dans le livre du vénitien Sanuto, intitulé : *Les Secrets des fidèles de la croix.*

(FLEURY, *Hist. eccl.*, VIe discours, 15.)

Les grands génies qui ont regardé la carte du monde ont tous pensé à l'Égypte.

(M. THIERS, *Hist. de la rév. franç.*, IX.)

MONSPELII,

E TYPIS JOHANNIS MARTEL, NATU MAJORIS.

1855

DOCTISSIMO ET ORNATISSIMO VIRO

S.-R. TAILLANDIER,

GALLICARUM LITTERARUM IN MONSPELIENSI

FACULTATE PROFESSORI,

Hoc exiguum amicitiæ simul et observantiæ pignus

D.D.D.

A. POSTANSQUE.

DE

MARINI SANUTI

VITA ET SCRIPTIS.

I.

Postquam in Africa supremum diem Sanctus Ludovicus obiit (1270), coloniæ quas in Orientis regionibus Christiani constituerant, omni destitutæ auxilio, et ferro Saracenorum qui in Ægypto imperium exercebant, Turcarum qui Asia Minore jam potiti erant et Tartarorum qui in Asia vagabantur simul objectæ, ocius in Infidelium potestatem redactæ sunt. Tyrum igitur, Berytum, Sidonem, Laodicæam, Tripolimque barbarorum colluvies invasit [1], brevique ipsa Ptolemaïs ab

[1] Michaud, *Hist. des croisades*, T. V, liv. XVIII. Paris, 1841.

Ægyptiis expugnata non sine laude cecidit (1291)[1]. *Hic finis*, ut auctoris qui crucesignatorum gesta narravit verbis utar, *sacri belli statui potest*[2]; eversis enim urbibus quæ præclarorum factorum exstabant monumenta, nulla usquam indignatio orta est, ut quondam post Edessæ aut Hierosolymorum excidium, nemoque inter principes viros arma induit ut Terram Sanctam impiorum hostium jugo oppressam et illorum præsentia contaminatam liberaret, aut saltem ut cætera regna protegeret quæ quasi Europæ propugnacula stabant, et tot ac tantis cladibus in ruinæ discrimen adducta erant. Quod quidem plane intelligere est, si qualis ea tempestate fuerit Christianitatis status attente inspicias. In Asia, nonnulli quidem supererant Christiani, iis orti colonis qui in illis olim regionibus consederant, verum ex judicio omnium historicorum qui in ea re consentiunt, eorum mores ab initio deliciis soluti fuerant, non tantum vis et virtus, sed et fides ipsa pæne exstincta erat, tantaque eorum impudentia ut cum ipsis Infidelibus consilia

1 Villani, *Historie fiorentine*, lib. VII, cap. 144, ap. Muratori, *Rerum italicarum scriptores*, T. XIII.

2 Hæc verba excerpta a Paulo Æmylio Veronensi *De rebus gestis Francorum* refert Michaud, *Bibliothèque des croisades*, part. III, p. 310; Paris, 1829.

consociarent. Hospitalarii enim et Templarii perpetuo inter se bella gerebant, ad id unum scilicet intenti ut divitias augerent, donec eorum potestas invidiam regum movit, qui Templariorum Ordinem delendum esse statuerunt. Occidentis gentes magis etiam erant oblitæ regionum in quibus olim magnam sane, sed sterilem gloriam adeptæ fuerant. Apud Germanos, post longum illud Interregnum, Rodolphus Imperator electus fuerat; civilibus autem bellis iterum exortis, vix Imperatores ipsi auctoritatem suam communire valebant, neque inter seditionum discrimina, in melius rempublicam, quæ præcipua ipsis cura erat, ordinare poterant. Rex Anglorum Eduardus I, qui olim in Terra Sancta bellum gesserat, tunc Cambriam et Scotiam nitebatur in ditionem redigere, et insuper Anglorum cum Gallis sæculare illud duellum jam oriebatur. Apud Gallos, rex Philippus IV adeo longinquas peregrinationes non meditabatur, ut contra ad deprimendam optimatum auctoritatem Anglosque propulsandos totus incumberet; præterea eum inter et Pontificem Romanum grave jam dissidium erat, unde intelligitur quam parum in Gallorum regis animo religionis amor et Ecclesiæ reverentia valerent. Hispani jam

dudum e montibus egressi erant ut ab hostibus patriam recuperarent; Castellani autem, qui inter eos maxime pollebant, de hæreditate regni inter se contendentes, inimicitias simultatesque exercebant, ideoque omnes a longinquis bellis deterrebantur. Sed et inter Italiæ gentes magna vigebat discordia propter Guelforum et Gibellinorum odia; insuperque in Neapolitano regno, dum de Siciliæ imperio decertabant cum Gallis, Aragoniæ reges, commercii appetentes utilitatem, cum Ægypti Soldanis fœdera componebant [1]. Denique Græci, qui imperium Constantinopoli restituerant, a Latinis schismate secesserant, ac de minimis in disputando pertinaces, ne propriis quidem periculis ad regnum tuendum incitari poterant [2].

Dum vero Christianorum calamitates viri principes immoto audiebant animo, Summi Pontifices, quamvis nonnulli suam eis sacri belli incuriam

[1] Unum ex his fœderibus, inter Kelaoun Ægyptiacum Soldanum et Genuenses regesque Siciliæ et Aragoniæ compositum anno 1290, memoratur apud Michaud, *Biblioth. des croisades*, part. IV, pp. 564 et sqq.

[2] Ne autem hæc amplificata videantur, ea necesse est legantur quæ in chronicis Cornelius Zanfliet scribebat; eadem ille ac nos refert, dum in populorum et regum ignaviam et desidiam invehitur. (Michaud, *Bibliothèque des croisades*, part. 1, p. 339.)

exprobrarent [1], soli antiquum ardorem æstumque languidiorem refovere conati sunt, memores Gregorii X, qui in Concilio Lugdunensi fideles ad arma vocaverat [2], Innocentii V et Johannis XXI qui gentes ad bellum incitare iterum atque iterum tentaverant [3]. Ubi Nicolaus IV expugnatam Ptolemaidem ac Palæstinam Infidelium armis domitam audivit, Christianos omnes litteris exhortatus est, et singulatim Anglorum regi, Genuensibus et Venetis scripsit, iterumque vetuit hostibus arma aut ligna navibus ædificandis necessaria afferri. Imo Constantinopolitani Imperatoris, regum Orientis etiamque Tartarorum auxilium crebris precibus efflagitavit [4]. Annis 1300 et 1301, Bonifacius VIII Anglorum regem ut propositum tamdiu dilatum

[1] Nicolaus IV incuriæ arguebatur à quodam monacho, qui dicebat ipsum Siciliæ bellis intentum, Palæstinæ negotiis indormire. (*Historia sicula,* auctore Bartholomæo de Neocastro, ap. Muratori, T. XIII, cap. 120.)

[2] Concilio aderant legati Tartarorum ut fœdus inirent cum Christianis adversus Infideles. (Fleury, *Hist. ecclésiast.,* liv. LXXXVI, chap. 43; Raynaldi, *Ann. ecclesiast.,* anno 1274, XXXV, LXI.)

[3] Ibid., anno 1276, XX et XLVI; Michaud, *Biblioth. des croisades,* part. II, pp. 504, 505.

[4] Fleury, *Hist. ecclésiast,* liv. LXXXIX, ch. 18; Raynaldi, *Ann. ecclesiast.,* anno 1291.

perficeret obsecravit [1]; anno 1306, Clemens V Summo Hospitalariorum Magistro scripsit ut secum Palæstinæ recuperandæ consilium iniret, Fratres Minores in Orientis regiones misit qui fidem sacram propagarent, Conciliumque constituit in Gallia cui multi principes viri aderant, et in quo de Constantinopoli et Hierosolymis iterum acquirendis graviter actum est [2]. Sed frustra; minime profuit tam nobilis ardor; Pontificum enim hortamentis reges et populi surdas aures habuerunt, quum propriis intenti rebus, ad utilia tantum omnes spectarent. Graviora etiam notanda sunt; nonnulli inter Christianos sociorum consilia prodiderunt. Ptolemaidis coloni, fœdere cum Ægyptiis inito, Soldano polliciti sunt fore ut ipsum de Latinorum adventu certiorem facerent [3], eodemque tempore Siciliæ reges se nunquam Pontifici Summo auxiliaturos esse certo fœdere sese obstrinxerunt [4].

[1] Michaud, *Bibliothèque des croisades*, part. II, p. 881, ex *Act.* Rym.

[2] Fleury, *Hist. ecclésiast.*, liv. XCI, chap. 7; Raynaldi, *Ann. ecclesiast.*, anno 1306, XII; Michaud, *Hist. des croisades*, T. V, p. 161.

[3] Michaud, *Hist. des croisades*, T. V, p. 113.

[4] Ibid p 114.

II.

Dum ita principes, sacræ fidei commodorum et Europæ discriminum neglectu, gravissima posteris negotia præparabant, quidam exstiterunt viri, qui, quum planius intellexissent quot et quanta Christianis impenderent pericula, omni ope atque opera, ut ea averterent, enixi sunt; nonnulli etiam ut generosum, inane vero consilium perficerent, vitam, fortunas ingeniique vires libentissime profuderunt. Quum autem habitum fuit Lugdunense Concilium, Humbertus de Romanis, Ordinis FF. Prædicatorum generalis, opusculum scripsit[1] quo fere restinctum pietatis ardorem refoveret. Ille quærebat quam ob causam Terra Sancta barbaris præda jaceret, quam multæ calamitates Christianis instarent recensebat, et, prolatis de bello necessarie suscipiendo argumentis, ea quæ a timi-

[1] In hoc libro, de tractandis in Concilio Lugdunensi negotiis agebatur. (Quetif et Echard, *Scriptores Ordinis Prædicatorum*, T. I, p. 142 : Lutetiæ Parisiorum, 1719.) Idem Humbertus librum edidit : *De prædicatione crucis contra Saracenos.* (Ibid., T. II, p. 817.)

dioribus objecta erant, sibi diluenda proponebat[1]. Quem quidem librum non in magno pretio habendum esse crediderim, quum neque verbis neque rebus emineat, quumque unde consilium absolvi possit auctor non proferat; ex eo tamen nonnihil utilitatis percipi potest, si, quid fideles de sacris bellis eo tempore sentirent, indagare volueris.

Anno 1288, eximius inter hujusce ætatis philosophos, Raimundus Lullius, Summo Pontifici opus obtulit cui inscribitur *Tractatus de fine*, et quo diligenter exponebat qua ratione Christiani propagare sacram fidem, et, Saracenorum imperio debilitato, Palæstinam recuperare possent; nullam deinceps cum Ægyptiis mercaturam faciendam esse, unde eorum dominatio brevi dirueretur, dum mercatores, ultimis etiam Indiæ partibus aditis, merces eo quæsitum irent quas antea majori pretio a Saracenis emere soliti essent. Quamdiu vixit, Lullius conatus est reges ad consilium perficiendum adducere; perlustravit ideo Palæstinam, Syriam, Ægyptum, Armeniam, Hispaniam, Galliam et Italiam; scholas curavit aperiendas in quibus Tar-

[1] Michaud, *Biblioth. des croisades*, part. I, pp. 404 et sqq.; *Hist. des croisades*, T. V, pp. 100 et sqq.

tarorum lingua edisceretur; illius vero incepta cecidere, ac deinceps, a barbaris interfectus, hoc solum pietatis præmium obtinuit[1].

Si quidem Humbertus de Romanis et Lullius Palæstinam armis repetendam arbitrati sunt, certe omnia in operibus ad religionis laudem et utilitatem revocabant; nonnulli vero, humanis magis quam sacris rebus intenti, se scientiæ politicæ non adeo ignaros præbuere. Ptolemaide expugnata et apud Anglos regnante Eduardo I, auctor anonymus, causarum ecclesiasticarum patronus in ducatu Aquitaniæ, libro haud sane contemnendo exposuit quibus rationibus Terra Sancta recuperaretur[2]. Inter catholicos principes discordias sedandas[3]; Germanorum Imperatorem suffragiis jam non deinceps eligendum[4]; inter Pisanos, Genuenses, Venetos et Lombardiæ Tusciæque civitatum incolas perpetua oblitos odia, pacem esse componendam; de regno Neapolitano

[1] Michaud, *Hist. des croisades*, T. V, pp. 171, 172. — Depping, *Histoire du commerce entre le Levant et l'Europe*, T. II, pp. 192, 193: Paris, 1830.

[2] Ap. Bongars, *Gesta Dei per Francos*, T. II, pp. 316 et sqq.: Hanoviæ, 1611.

[3] *De recuperatione Terræ Sanctæ*, cap. 3.

[4] Ibid., cap. 8.

jurgia omittenda [1]; Hispanorum regum auxiliis, expulsis e regno Granatensi hostibus, Latinos adjuvandos [2]; quumque ad hunc modum una ex omnibus Europæ gentibus respublica constituta esset, si quis pacem turbare esset ausus, hunc excommunicatione mulctandum, et, fortunis in publicum addictis, in Terram Sanctam relegandum [3]. Regum moribus in melius ita commutatis, majoris momenti emendationem tentandam; utque propositum perfici possit, nonnulla refert Noster quibus appareat quam multa jam eo tempore ecclesiasticæ auctoritati pericula impenderent. Universa Ecclesia, inquit, ad pristinam disciplinæ severitatem revocanda est [4]; postquam enim Summi Pontificis bona temporalia cuidam inter principes in perpetuam emphiteusim collata fuerint, tunc finis erit exactionum, nec deinceps propter Sancti Petri patrimonium bella movebuntur [5]. Cardinales ac prælati ad humilitatem illam quæ Dei ministros decet,

[1] *De recuperatione Terræ Sanctæ*, cap. 6.
[2] Ibid., cap. 62.
[3] Ibid., cap. 4. « Longe melius », ait, « eos temporaliter quam æternaliter puniré. Pœna temporalis, licet sine comparatione minor æterna, plus timebitur.... »
[4] Ibid.
[5] Ibid., cap. 17 et 23.

reducentur; apud eos necesse est refrenentur bellorum ardor et divitiarum cupiditas, sicque moribus eorum emendatis, iterum vitæ florebit integritas [1]. Monachorum, qui primum ad quamdam in victu temperantiam revocandi sunt, numerus minuendus [2]. Ecclesiæ bona tradenda principibus, ea lege ut clericis annua pensio solvatur; eadem ad bellum adhibenda, itemque de bonis prælatorum mortuorum aut intestatorum faciendum [3]. Præterea scholæ creandæ in quibus orientales linguas cæterasque scientias clerici et laici ediscant [4], quo facilius, cum Orientis gentibus inita societate et cum Christianis Asiam incolentibus commercio habito, comparari queant mercimonia quorum raritate pretium accendi solet [5]. Postquam autem his viis et rationibus expeditior factus fuerit ad Terram Sanctam aditus, crucesignatis suscipiendum iter; tunc Germani, Hungari et Græci, si per Imperatorem liceat, terra incedant, Angli vero et Galli et Hispani mari adveniant [6].

[1] *De recuperatione Terræ Sanctæ*, cap. 15 et 16.
[2] Ibid., cap. 33.
[3] Ibid., cap. 25.
[4] Ibid., cap. 36, 37, 38 et 39.
[5] Ibid., cap. 40.
[6] Ibid., cap. 12.

Tunc quoque divitiis Templariorum et Hospitalariorum « quæ jampridem parum profecerunt », ad id utendum ut naves, victualia cæteraque bellantibus necessaria ministrentur[1]; ita ut omnibus diligentissime comparatis, territi Saraceni ne reluctari quidem sustineant; Palæstina, nullo obstante, Christiani potiantur, absolutaque victoria Græcis non debitæ potestatis usurpatoribus imperium auferant, jure Carolo Valesio reddendum[2].

Ille anonymi liber in multis quidem et gravissimis reprehendendus est, quippe qui inconditus et incompositus sit et oratione barbariem redoleat. In magno insuper errore versabatur auctor, ratus scilicet fore ut reges repente odia remitterent, reformaretur Ecclesia et fugerent Saraceni, si Christiani tantummodo suscepissent iter. Nec mediocris tamen ex hujusce auctoris opinionibus percipi potest utilitas, quum jam eo tempore de Ecclesia ad pristinam morum sanctitatem revocanda apud viros peritissimos agatur, quumque in lucem multa proferantur de scientiis et litteris quibus confirmari licet, exeunte tertio decimo sæculo, non omnia bonarum artium studia exolevisse. Ea scili-

[1] *De recuperatione Terræ Sanctæ*, cap. 9.
[2] Ibid., cap. 63.

cet ætate floruit auctor quidam inter Venetos nobilissimus, Marinus Sanutus, industria et ingenio præstantissimus, cujus opera multo majoris pretii quasi monumenta scientiæ politicæ supersunt; ille idem atque anonymus consilium iniit, quumque ejus vita aut scripta temporum illorum historiam illustrare possint, qui fuerit, quidque in operibus utile mandaverit, investigare operæ pretium est.

III.

Marinus Sanutus, cognomine Torsellus, et Marci filius, in civitate Rivoalti, Venetiis natus est, exeunte tertia decima ætate[1]. Venetorum in annalibus antiquitate celebria erant majorum nomina, de quibus ipse plurima memorat. Ineunte tertio decimo sæculo, Marcus Sanutus gravissima quidem suscepit, et missus fuit ad Marchionem Montferratensem Bonifacium de dominio Cretæ Venetis cedendo[2]. Eodem tempore, quum Veneti suis ea

[1] Bongars, *Gesta Dei per Francos*, T. II, p. 21. — Errat auctor qui (*Biographie universelle*, v° *Sanuto*) refert Sanutum natum esse quarto decimo sæculo ineunte; ipse enim librum *Secretorum fidelium crucis* anno 1306 inceptum fuisse memorat. (Ibid.)

[2] *Gesta Dei per Francos*, T. II, præf.

concessissent quæ quisque ab hoste derelicta occupasset, ille Naxum, Parum, Antiparum, Melum, Æginam nonnullasque maris Ægæi insulas in ditionem redegit; unde factum est ut ejus posteri ducatus Naxii possessionem obtinuerint [1]. Majores inter suos Noster memorat etiam Willermum Sanutum, « virum opibus florentem [2] », ejusque filium Nicolaum Sanutum, qui, juventutis impetu raptus, contra Constantinopolitanos Imperatores insurrexerat [3]. De adolescentia autem et studiis Nostri nihil apud ipsum invenimus; liberaliter vero institutum fuisse satis ex operibus intelligitur, ut quæ eruditissimum ingenium indicent. In evolvendis philosophorum, historicorum, poetarumque scriptis exercitatus, quum sacras, tum profanas litteras percallebat. Non solum enim e Chrysostomo Sanctisque Scripturis excerpta profert, sed etiam Plutarchi, Senecæ, Aristotelis, Tullii, Maronis et Claudiani verba usurpare solet; adde quod a Vegetio et Frontino didicerat quidquid de re militari Romani noverant [4].

[1] Ibid. Daru, *Hist. de Venise*, T. I, p. 345: Paris, 1821.
[2] *Secreta fidelium crucis*, lib. I, part. IV, c. 7, margine.
[3] Sanuti Epist. III, V et VIII.
[4] *Secreta fidelium crucis* et *Epist.*, passim.

Recentiores inter auctores, eos perlegerat a quibus sacra bella memoriæ tradita sunt, ac sæpius quæ scribit de crucesignatorum expeditionibus et de gentibus ultimas Asiæ partes incolentibus, ea sumit a Jacobo de Vitriaco et Vincentio Bellovacensi[1]. Ut e pueris excessit, continuo peregrinatus est, et mature Terræ Sanctæ negotiis se totum dedidit[2]. Universas igitur Orientis regiones propriis perlustravit impensis, Armeniam, Palæstinam, Ægyptum et insulas Interni maris[3], atque etiam in Romania, ut ipse narravit, majorem vitæ partem peregit[4]. In Occidente vero, Galliam, Flandriam, Germaniam, Holsatiam, Daciam et Sclaviam per maria septentrionalia adire ausus est, nec quidquam inexpertum intentatumve reliquit, ut reges principesque ad id adduceret ut Palæstinam recuperandam susciperent[5]. Uxorem etiam sibi matrimonio adjungere noluit, ne, dum familiæ fortunis et utilitati consuleret, ab incepto averteretur[6]. Illius

[1] *Secreta fidelium crucis*, præf.
[2] Epist. II, XIV.
[3] *Secreta fidelium crucis*, p. 3.
[4] Ibid.
[5] Epist. VI, VIII, XVI. — *Secreta fidelium crucis*, lib. II, part. IV, cap. 18, p. 3.
[6] Epist. VIII.

quidem verba gravissima et utilissima principes fatebantur, promittebantque se illi in Palæstina summam rerum administrandam permissuros [1]; reipsa vero ad peroptatum finem pervenire non poterat, inanibusque promissis ludebatur. Tunc, operis ac laboris invictus, statuit librum scribere quo belli renovandi rationes indicaret et exponeret quomodo Terra Sancta recuperari, recuperataque servari posset. Quem quidem librum, inscriptum : *Secreta fidelium crucis*, et Pontifice Clemente V, anno 1306 inceptum, per majorem vitæ partem perpoliendum attente curavit [2]. Quum autem ille liber scientia politica inter pretiosissima quæ e medio ævo supersunt scripta emineat, cuique ejus parti singulatim necesse est studeamus, antequam Nostri sententiæ disceptationis materia fiant.

IV.

Marinus Sanutus initio palam ostendit quot et quantis in periculis præsertim in Oriente Christiani versentur, imminentibus undique hostibus quo-

[1] Epist. VIII.
[2] *Secreta fidelium crucis*, p. 21.

rum, favente fortuna, in dies increscit audacia, quique in eo sunt ut religionem Christianam penitus aboleant. In Asia Minore et insulis prope Romaniam adjacentibus Turcæ dominantur; Tartari, qui Mahumeti fidem amplexi sunt, quique equitatu numerosissimo pollent [1], Perside et Asia tota potiti, usque ad extremam Orientis partem vagantur. In Africa autem, tot episcoporum virtutibus olim illustrata, Saraceni regnum Tunetis et Ægyptum occupant, itemque Syriam et Palæstinam [2]. In Europa etiam, dum Mauri regnum Granatense tenent, Græci et Ruteni ab Ecclesia dissident, fidem catholicam respuit rex Serviæ, et Bosnia « tanquam hæreticorum nidus est [3]. » Ita Armeniæ, Nubiæ et insularum Romaniæ incolis, qui incorruptam Christi religionem servaverunt, innumeræ belluæ imminent quæ « Christianorum ossa rodunt [4] », quibusque, nisi ea quæ providenda sunt attente prospiciantur, tota brevi Europa impio bello superanda est. Quæ quum ita sint, certe consulendum est ut, Infidelium fractis viribus, illorum

[1] *Secreta fidelium crucis*, lib. I, part. V, cap. 3.
[2] Lib. I, part. V, cap. 2.
[3] Lib. I, part. V, cap. 1.
[4] Lib. I, part. V, cap. 2.

imperium penitus dirutum evanescat, idque futurum Noster confidit, si ipsius consilia quam celerrime perficiantur.

V.

Ex omnibus hostibus, qui tot et tantis injuriis Christianos affecerunt, nemini sane dubium quin Ægyptiacus Soldanus maxime formidandus sit; quippe qui non Ægyptum modo Palæstinamque et Syriam regat imperio, sed et navium[1] equitumque ingenti copia valeat[2], et Turcis fœdere conjunctus sit, et cum Tartaris et Imperatore Constantinopolitano amicum habeat commercium[3]; hic igitur primum armis petendus est. Id quidem sentiebant Almericus Sanctusque Ludovicus quum olim Ægyptum invasere; bello autem male imprudenterque gesto, illis res improspere cessit : ad aliam igitur rationem confugiendum est. Soldanus immensis viget opibus quæ e mercibus in regna ejus importatis aut inde exportatis proveniunt[4]; earum autem fons ut exhauriatur, ea via uten-

[1] Marina Soldani magna. (Lib. I, part. IV, cap. 2.)
[2] Sunt LX millia hominum in equis. (Lib. II, p. II, c. 2.)
[3] Lib. I, part. IV, cap. 4; part. V, cap. 3.
[4] Lib. I, part. I, passim.

dum est, quam Syriæ rerum status indicat. Ex quo enim Ptolemais expugnata fuit et coloniæ Christianorum cecidere, hæc regio civibus et opibus est destituta [1], unde patet Soldanum imprimis præpotentem hinc evadere, quod Christiani in ipsius regno habitent, eoque mercimonia afferant. Quamobrem non jam in Ægyptum importandæ sunt merces quibus illa indiget aut quæ non ibi fabricantur [2]; merces vero ex Oriente ductæ alia via in Europam per Bagdad et Syriam advehendæ sunt, imo ex India ipsa quærendæ [3]. Vetabitur etiam et pœnis gravissimis merces in Asiæ Minoris portubus, in Romania aut in Armenia, Hispaniaque et Africa emi, ne forte illuc ex Ægypto adveniant [4]. Vigebunt iterum

[1] Lib. I, part. II, cap. 1, 2.
[2] Lib. I, passim.
[3] Lib. I, part. I, cap. 1.
[4] Lib. I, part. IV, cap. 1, 2, 3, 4, 5. Hac ratione Veneti sæpius hostium opes frangere conabantur; prohibebant ne quis merces emeret ab eis aut ad eos adveheret; itaque, fortunis eversis, hi facilius opprimebantur : « Prædicti enim Veneti, »quando discordia oritur inter eos et civitatem aliquam Lom- »bardiæ vel Marchiæ Tervisinæ, inimicos suos duplici via »lædunt. Prima est via levior : non ejus arma capiunt, vel in »personam lædunt, vel temporalia bona subripiunt; sed stricte »prohibent eorum victualia vel mercimonia quæcumque ad »civitatem Venetiarum transferri, aut per loca eis subjecta

mandata quibus antea Christiani, si cum Infidelibus commercium habebant, infamia notari, muneribus publicis expelli, fortunis spoliari et ab actibus vel legitimis prohiberi, imo et in servitutem redigi poterant [1]. Ecclesia delinquentes excommunicatione mulctabit, ut hæreticos fautoresve pravitatis hæreticæ mulctare solet [2]. Interdicetur etiam ne quis « dominus terræ vel rector », hæc jussa transgressos domi excipiat [3]; istorum si forte culpa ad judicem deferatur, delatores tertia bonorum parte donabuntur, nec eorum detegetur delatio, insuperque eligentur inquisitores qui hæc omnia perficienda curent [4]. Quum autem hujusce modi mandata jam sæpius iterata nec tamen servata fuerint, instruetur classis opulenta, decem constans galeis, quarum unicuique vir præerit spectatissimus, cum ducentis et quinquaginta militibus, peritissimos inter nautas electis. Universæ autem classi imperabit capitaneus qui

»deferri, aut e contra de civitate vel districtu Venetiarum ad »eas transferri. » (Lib. II, part. III, cap. 3.)

[1] Hæc post Syriæ et Ptolemaidos excidium edicta fuisse memorat Noster. (Lib. I, part. IV, cap. 1.)

[2] Lib. I, part. IV, cap. 6.

[3] Ibid.

[4] *Gesta Dei per Francos*, pp. 20 et 21.

cæteros duces in consilium adhibeat, et si qua præda facta fuerit, hanc inter se omnes divident. Ecclesia quidem nonnullas naves suppeditabit, et illi quorum plurimum interest Soldani opes everti, pro suis quisque facultatibus galeas sufficient, quarum in gratiam indulgentia donabuntur. Sperare igitur licet in auxilium naves missuros Venetos qui mare Ægæum teneant, et Genuenses, patriarchamque Constantinopolitanum, et Cretensem archiepiscopum et Cypri regem Hospitalariosque, quum omnes Soldano ejusque sociis inimicissimi sint[1]. Soldanus autem, rebus ita afflictis, nec unde naves ædificet[2], nec unde milites conscribat[3], jam habebit, quum illud antea non nisi maximis sumptibus perficeret; hinc etiam fiet ut ad Ægyptum omni ope destitutam bellaturis facilis aditus pateat.

[1] Lib. I, part. IV, cap. 7.

[2] Lib. I, part. I, cap. 6. Hanc in Ægypto penuriam animadverterunt historici. — « L'Égypte ne possède pas de bois propre à la construction des vaisseaux de mer. » (Heeren, *De la politique et du commerce des peuples de l'antiquité*, vers. Gall., T. VI, p. 411.)

[3] Lib. I, part. III, cap. 2. Apud Ægyptios, milites eligebantur inter captivos; quum, si Nostro credideris, « gens quæ nascebatur in terra Ægypti non valeret pro armis. » (Ibid.)

VI.

In secundo libro mira quidem arte Noster exponit quomodo Ægyptus invadenda simul et expugnanda sit, postquam omni præsidio omnibusque divitiis Soldanus nudatus erit. Ægyptus, inquit, quasi janua patet[1]; hunc fontem esse dixeris, qui arborem alat cujus, quasi luxuriantes rami, Syria, Palæstina regnumque Tunetis protenduntur[2]. Hæc igitur primum petenda armis; cavendum vero ab ea imprudentia qua usi duces antea multi rem male gesserunt. Postquam igitur regionis vires rationibus supra memoratis exhaustæ fuerint, duobus vel tribus annis elapsis, mittetur exercitus qui eam occupet. Eligetur primum imperator unus, « nam res ordinata unum caput requirit », qui, bellicis artibus præstans fideique tenacissimus, « plus bonum Christianitatis quam proprium diligat », et qui primum sibi Venetorum benevolentiam amicitiam-

[1] Lib. II, part. II, cap. 4.
[2] Ibid., cap. 7.

que conciliet [1]. Exercitum vero constantem equitum quindecim millibus trecentisque peditibus, quibus Ecclesia stipendium solvat [2], componet una gens, Venetorum scilicet; ita prævertentur rixæ et dissensiones quæ sæpius e gentium morumque diversitate oriuntur. Venetorum quippe regio, nautis referta peritissimis, adversa flumina navigando assuetis, omnia navibus instruendis necessaria suppeditando par erit; eadem Ægypto proxima et soli natura similis est, et præterea in Romania multos habet portus in quibus interdum quiescere detur [3]. Ita compositus ductusque exercitus ad Ægypti littus appellet, et postquam, ne obstantibus quidem incolis navalis belli rudibus, maritima facile oppida occupaverit, Nilum etiam superabit, ac deinde juxta maris littus et fluminis ripam propugnacula exstruet, renovata simul prohibitione ne merces commeatusve Saracenis afferantur, ita ut mox inedia simul et inopia pereant [4]. Quibus autem peractis, crux prædicabitur, et colligentur peditum quinquaginta millia et equitum duo

[1] Lib. II, part. I, cap. 1.
[2] Ibid.
[3] Lib. II, part. I, cap. 2.
[4] Lib. II, part. III, cap. 3.

cum quinquaginta navibus [1], qui primum cum Tartaris et gentibus Orientis inita societate, bellum incipiant. Exercitus autem non terra incedet propter viæ longitudinem et annonæ difficultatem, namque Petrus Eremita et Godefridus Bullonius olim hancce viam non nisi adjuvante Deo feliciter tenuerunt [2]; neque per Armeniam iter est habendum, namque Hierosolyma inde petentibus fervida deserta superanda essent, in quibus, ne castellis quidem exstructis, commorandum esset, quum hujuscemodi expeditio non nisi magna impensa fieri posset, et bellicosi Syriæ incolæ Christianis essent occursuri [3]. Nonnulli arbitrantur primum Cyprum occupandam esse, ut ibi vires, si tempus et res poscant, reficere liceat, aut per regnum Tunetis Ægyptum adeundam; errant autem, etenim in hisce viis Sancto Ludovico semel atque iterum perdere operam accidit [4]. Ægyptus igitur recte primum navibus invadenda: sic enim, inquit Noster, longinquæ viæ labores effugias, et præterea in Ægypto purus aer, salutaris aqua, victus abundans, im-

[1] Lib. II, part. I, cap. 1; part. IV, cap. 27.
[2] Lib. II, part. II, cap. 1.
[3] Ibid., cap. 2.
[4] Ibid., cap. 3.

belles incolæ [1]. Exercitui autem jam a Venetis occupatas arces opesque regionis semirutas invenienti, nihil aliud agendum supererit quam ut facilem absolvat victoriam [2]. Interea Nubæi, Armenii et Tartari in Christianorum partes legationibus et muneribus adducti, alia ex parte Saracenos aggredientur, et ab Hispanis bellum renovabitur [3]. Nil dubium igitur quin tot ab hostibus obruti toto terrarum orbe occumbant Infideles. Ægyptus et Syria primum occupabuntur, et quia « extirpata radice oportet quod necessitate rami arescant », regiones omnes quas nunc Mahumeti sectatores sub ditione tenent rursus Christianorum fient [4]. Occidentem versus, ex Hispania Saraceni expellentur; in Oriente vero Græci hæresim repudiabunt, in sua deserta Turcæ rejicientur, et Terra Sancta perpetuo in libertatem vindicabitur [5].

In hac secunda parte quæ cæteris longe præstat, omnia quæ objici possint Noster refellit. Crucesignati, mari navibus obsesso et cum Venetis

[1] Lib. II, part. II, cap. 1.
[2] Lib. II, part. I, cap. 3.
[3] Ibid.
[4] Ibid.
[5] Lib. II, passim.

commercio indesinenter habito, rerum omnium præsertimque victualium copia fruentur [1], dum Ægyptus, ab omnibus regionibus aut per deserta aut per mare disjuncta, auxiliis omnino destituta erit. Neque id formidandum ne Infideles igne aut catenis fluminis defendant aditum, quum ejus modi obstacula superari queant [2]; nec Soldanus ab alveo avertat Nilum, qui aversus imperio exitium traheret [3]. Cujus tamen si brachium averteretur, aggeribus unda extrudi, et præterea propugnacula e ligno exstructa alibi facillime collocari possent [4]. Noster postea, vel minima scrutando, copiosissime disserit de navium numero et forma, de nautarum numero, de regionibus ubi conscribi possint, de stipendio commeatibusque cuique militum tribuendis, de armis suppeditandis, de auxiliis ad ægrotantes afferendis; fusius vero considerat quomodo in Ægypto rerum copia servari possit; denique manifestum est hujusce libri auctorem altius rem perscrutatum esse, omnesque secundos adversosve providisse eventus, et

[1] Lib. II, part. III, cap. 4.
[2] Lib. II, part. IV, cap. 1.
[3] Ibid., cap. 2 et 3.
[4] Ibid.

quibuslibet administratoris politicique viri virtutibus ornatum exstitisse [1].

VII.

Quum autem morbus expulsus est, id imprimis cavendum est ne recidivus occurrat [2]; parum igitur proficeretur, Ægypto et Palæstina recuperatis, nisi eæ diligentissime servarentur. In tertio libro memorat Noster quomodo id fieri possit, postquam ab origine mundi usque ad præsentem ætatem Palæstinæ historiam evolvit. Eligetur primum rex unus, prudens, usu exercitatus, integer, temperans, virtute omni ornatus, qualis erat Godefridus, quia ad regis mores subditorum mores informantur, ut ait poeta :

> .... Componitur orbis
> Regis ad exemplum; nec sic inflectere sensus
> Humanos edicta valent, quam vita regentis [3].

Principes autem et barones non jam mollitie et luxu diffluent, non mulieribus tradentur principatus, ac populus, nebulonibus expulsis et inqui-

[1] Lib. II, passim.
[2] *Secreta fidelium crucis*, p. 9.
[3] Lib. III, part. XV, cap. 17.

sitoribus ab hæreticis pœnas exigentibus, ad meliorem frugem revocabitur. Providendum autem ut, si bellum exoriatur, omnia secundum artem disposita sint; arma Saracenis auferantur; Palæstinæ incolæ, firmata disciplina militari, exercitentur; regio instruatur propugnaculis, et in præliis milites præceptis Romanorum a Nostro memoratis utantur [1]. Denique data mercatoribus libertate concessaque peccatorum remissione, in Palæstinam Summus Pontifex colonos arcesset, quibus « sub annuo certo censu » terræ tribuantur, et quorum intersit regionem totis viribus defendere [2]. Quæ quidem omnia si sedulo servata fuerint, nil dubium quin Terra Sancta, crucesignatorum armis quæsita, incolarum virtutibus servata defensaque, in perpetuum Infidelium dominatione liberetur.

VIII.

Marinus Sanutus, quum ad propositum per multos annos animum intendisset, absoluto perfectoque opere, anno 1321, Summum Pontificem

[1] Lib. III, part. XV, passim.
[2] Lib. III, part. XV, cap. 25.

Johannem XXII adiit. Narravit ipse quidquid in colloquio dictum factumque fuerat. Summo Pontifici ad quem se « libera voluntate contulerat », duo libri exemplaria obtulit, ornata tabulis quatuor geographicis quibus mare et terra, Internum mare et Sancta Terra Ægyptusque descripta erant. Hunc summa cum benevolentia Pontifex excepit, et quum operis hujus partem ab auctore ipso perlectam audivisset, totum a quatuor viris eruditis recognosci jussit[1], qui non multo post sententiam suam declaravere. Illis quidem consilium Sanuti comprobabatur; pœnæ autem mercimonia ad Saracenos afferentibus indictæ graviores videbantur; cæterum quidquid ab auctore propositum erat tantæ Christianitati utilitatis esse censebant, ut crucem sine mora prædicari vellent [2]. Inceptis igitur favente Summo Pontifice, nihil Noster omisit ut reges et principes ad propositum perficiendum adduceret; itaque principibus librum misit, iterum omnes Orientis Occidentisque regiones perlustravit, plurimas denique litteras scripsit quibus ardorem exstinctum refoveret, quum omnes gloriæ simul et religionis amore ad Sanctam Terram recuperandam incitari opus esset.

1 *Secreta fidelium crucis*, p. 1.
2 Ibid., pp. 3 et 4.

IX.

Hasce Nostri epistolas quas in secundo *Gestorum Dei per Francos* volumine Bongarsius in lucem protulit, exceptis quibusdam nondum editis [1], maximi momenti non immerito dixerim, quum in eis de Europæ et præsertim de Italiæ statu quarto decimo sæculo multa notatu digna legantur. At, in Orientis partibus, in dies barbari procedebant; Armenia cujus incolæ Christianam fidem retinuerant, ne defendebatur quidem, et propugnaculis eversis, Infidelium vectigalibus gemebat obruta [2]. A Turcis vero, nemine obstante, perpetuo lacessebantur Achaia, Naxos, Eubœa cæteræque Romaniæ insulæ [3], quarum rapti incolæ in servitutem redigebantur; quin etiam Romaniam ipsam et Italiam depopulabantur barbari, qui in terras incursare solebant, et qui recenter quinque et viginti millia

[1] Epistolæ quæ desunt apud Bongarsium manuscriptæ in abbatis Canonici bibliotheca servantur. (*Biogr. univers.*, vo *Sanuto.*)

[2] Epist. I, II, IV, V.

[3] Epist. III, XVII, XX.

hominum occiderant [1]. Græci autem schismatici adeo non in certamen veniebant, ut contra ne propriis quidem periculis commoverentur; a Venetis et Templariis nonnullæ quidem naves fuerant instructæ, verum propter Genuensium simultates et odia parum profectum fuerat. Quum propterea in eo esset Christianitas ut aboleretur, attente invigilandum et totis viribus enitendum jure censebat Marinus Sanutus, idque quomodo fieri posset in litteris dictitabat. Vetandum erat, ut suaserat in libro *Secretorum fidelium crucis*, Soldano merces afferri, dum classis, cui dux præesset peritissimus, adjacens prope Romaniam et Armeniam mare custodiret, ita ut Armeniæ rex eversa castella erigeret, nec jam vectigalia solveret; Latinis libere cum Orientis gentibus negotiari, itemque Terram Sanctam peregrinis visitare liceret, et inde quæstum facerent Christiani, nedum proprias exhaurirent opes [2]. Quum autem hæreseos causa Latini et Græci inter se dissentirent, arbitrabatur Noster fructuosum bellum incipi non posse, nisi prius discordantes ad concordiam redirent. Quid ea de

[1] Epist. XX, XXI, XXIII.
[2] Epist. I, V.

re sentiret Marinus Sanutus aliquoties Imperatori Græcorum [1] aut regibus et prælatis Orientis explicavit, idque asseruit fore ut firmaretur Græcorum imperium et principes ad bellum inchoandum incitarentur, si ambæ primum Ecclesiæ reducerentur ad pacem, quod quidem facillimum videbatur, quum de verbis magis quam de rebus ipsis disceptatio esset [2]. Ex epistola Caphensi episcopo scripta et dignissima quam mediteris, constat Imperatores ideo Latinis infensos fuisse quod timerent ne primo belli impetu Constantinopolis obsideretur everteretur que imperium, ut quondam in Gallorum concilio propositum, posteaque a Venetis et Gallis erat effectum. Quæ in diluenda totam Noster conferebat operam, Ægyptus invadenda est, inquit, omittenda autem Romania. Nonnulli quidem hanc regionem primum occupandam esse arbitrati erant; ipse autem in concilio Gallorum regis cui barones aderant, exitiosissimum incepto fore hujusmodi propositum validissimis comprobavit argumentis. Aiebat enim haud difficile Græcorum Imperium in ditionem Latinorum redactum iri, putabat autem fore ut

[1] Epist. VI, VII, IX.
[2] Epist. IX.

brevi ab ipsis amitteretur, propter barbarorum et imprimis Tartarorum vicinitatem. Utque illud servaretur, nonne perstaret tamen et vigeret incolarum odium, quemadmodum olim evenit in Cypro et Creta, Athenarumque ducatu et Amoreæ principatu, ubi « forte aliquando ostendunt se esse alicubi » fideles Ecclesiæ ore, tamen non corde, ut publice » fertur? ». Ut igitur Latini Constantinopolim omittant et cum Imperatoribus amicitiam conjungant, necesse est concordes fiant Ecclesiæ; restituta enim fide catholica, reges odia exuent, atque ipse Carolus Valesius non jam imperium sibi vindicabit, dum quid commodi hæredes accipiant[1]. Non videtur autem Nostrum in Oriente rem ex sententia gessisse; Veneti quidem nonnullas naves suppeditaverant, sed a principibus deinde derelicti sunt. Insuper Imperatores, pollicendo Græcos errores abjecturos, reges pontificesque decipiebant, et merito Latinis diffidebant qui ideo tantum ab evertendo Græcorum Imperio absterrebantur, ut ex epistola supra memorata patet, quod Constantinopolis armis quæsita servari non posset.

Neque in Occidente Marinus Sanutus operæ

[1] Epist. VIII.

pepercit, quippe qui, libro præmisso, Anglorum regi scripserit [1] et a Pontifice auxilium flagitaverit qui, Ecclesiæ periculorum immemor, Christianorum cismarinorum negotiis nimis studeret [2]. Cardinales etiam obsecravit et Italiæ principes, præsertimque Neapolitanorum regem cujus conciliis interdum aderat, cuique imprimis propter vicinitatem barbari imminebant. Italia autem, dissidiis laborans, bellis civilibus flagrabat: Ludovicus, Boiariæ rex, idem ac prædecessores affectans imperium, Italiam invaserat ut ferrea corona potiretur, et victor exceptus fuerat ab incolis civitatum qui Gibellinorum partes erant amplexi, a Romanis præsertim qui ex Imperatorum in urbe sua habitatione maximam percipiebant utilitatem [3]. Præterea, Italiæ populi, « sine freno, venenosi et audaces [4] », ex Germanis libertate recuperata, inter se dissentiebant; Lombardia a Galeaccio qui cum Venetis bellum gerebat, Tuscia vero a Castruccio perturbata æstuabat, unde Venetorum et Neapolitanorum commercio ingens detrimentum afferebatur [5]. Sanutus

[1] Epist. VI.
[2] Epist. I.
[3] Epist. XVI, XVIII.
[4] Ibid.
[5] Epist. III.

hic nonnulla refert quibus Italiæ gentes ad pristinam concordiam revertantur. Necesse est, inquit, ut opera regum Galliæ et Neapolis et comitis Hannoniæ qui regis Boiariæ socer est[1], Ludovicus, excommunicatione levatus, in gratiam redeat cum Summo Pontifice, qui temporalia sibi minime servanda jam non peroptabit[2]. Oportet Andegavenses et Aragoniæ reges, qui de Sicilia certant, pacem inter se componant, quum Siciliæ rex regiones armis quæsitas retinere non valeat[3]. Atqui Sanutum fugere non poterat primum in Gallia crucem olim prædicatam, a Gallis præsertim sacra bella suscepta et Gallorum regem ultimum Palæstinæ recuperandæ causa bellum gessisse; nihil itaque omisit ut illorum rex et barones proposito accederent, ipsique auxiliarentur. Venit igitur in Galliam, ubi[4] Hannoniæ et Flandriæ comitem, Willermum, et Gualterium conestabularium, Ludovicumque, comitem Claremontensem, et Robertum, Arveniæ comitem[5], adiit; comiti etiam Mimatensi scripsit, propter

[1] Epist. XVI.
[2] Epist. XVII.
[3] Epist. XVII, XVIII.
[4] Epist. VI.
[5] Epist. VII, VIII.

Italiæ dissensiones et « mercationum subtractiones, »regnum præclarum Franciæ non modicum pati de»trimentum », eumque oravit ut proposito faveret[1], denique Gallorum regi Philippo IV epistolam misit, quam propter oratoris vim et facultatem oratoris hic exarandam censuimus[2].

« Ramembranze à la Royale Majesté faicte hum»blement et dévotement par Marin Sanud, dict »Torxel, de Venise, lequel vous présenta les livres »et les mappemondes pour conquerre et tenir la »Terre Saincte et les terres circostans à icelle. Et »dict que ce seroit plus legère chose à vostre haulte »Majesté d'avoir la seigneurie du monde et gagner »Paradis que ne fu à Alexandre qui fu Sire du »monde, en suivant l'ordonnance et la manière »que cy-après s'ensuit :

»Primo, que vostre haulte Seigneurie encom»mence la besongne du voyage d'outre-mer, en la »manière qu'il est ordonné ou en la manière qu'il »plaira à vostre haulte Seigneurie ; et si ce ne se »peult faire à present en tant grand quantité de »gens, qu'elle se face à tout le moings de dix »galées bien armées à CCL hommes pour chascune

[1] Epist. IV.

[2] *Secreta fidelium crucis*, pp. 5 et 6.

» galée pour garder la mer et trois cents hommes » à cheval et mille de pied de bonne gent pour » garder la terre d'Arménie. Car trop seroit grand » dommage et grande honte à toute Chrestienté si » celle terre se perdoit.

» Secundo, que vous procurez par devers nostre » Saint Père le Pape qu'il envoye ses messages » avecques les vostres par toute Chrestienté, que » si comme la Terre Saincte doibt estre de féaux » Chrestiens, que chascun en soit requis. Et selon » ce que chascun y mettra, il aura sa part de la » terre. Et que tout l'avoir qui en sera cuilly, soit » mis en lieu seur et sauf, et qu'il ne se puisse » despendre qu'au sainct voyage.

» Tertio, qu'il plaise à vostre haulte Seigneurie » d'avoir amitié et compagnie avecques le Duc et » commun de Venise.

» Quarto, que vous mettez pour vous capitaine » de l'ost qui qu'il vous semblera qui bon soit, et » qu'il suive l'ordonnance des livres que je baillay » à vostre haulte Seigneurie.

» Et si vostre haulte Seigneurie faict ceste » chose, je ne doubte pas, avec l'ayde de Dieu, que » le roy Robert, le roy Frédéric de Secille et l'Em- » pereur de Constantinoble, seront obéissants à

» vous en toutes choses qui seront raisonnables. Et
» par ceste voye pourrez vous conquester la Terre
» Saincte et les autres terres circostans à icelle, et
» le remenant du monde ne se pourra desfendre
» contre votre haulte Seigneurie, selon que vous
» pourrez veoir par les livres et mappemondes
» dessus dictes.

» Au premier article respond ledit Marin Sanud :
» que si aucuns disoient que l'armement fust trop
» petit, dict qu'avec l'ayde de Dieu seroit assez
» suffisant pour ceste achaison. Car il trouveront
» de là en Cypre, en Rodes et ès autres isles de
» Romanie bien jusques a dix galées bien armées qui
» se mettront tous tens en la compagnie des vostres.
» Et encores plus, les isles dessus dictes pourront
» bien ayder d'autres dix galées, pour ung brief
» temps. Et encores se treuvent moult de fois de là la
» mer grand quantité de galées de marchands dont
» l'on se pourroit aucunes fois bien ayder des autres
» dix, et spéciaument qui ordonneroit bien les
» marchands : si qu'avec l'ayde de Dieu la mer
» seroit bien gardée. Les isles de Cypre et de Rodes
» pourront bien ayder Arménie continuellement de
» CCCL hommes à cheval, et moult Chrestiens qui
» orront ceste chose leur feront secours et ayde.

»Pour laquelle chose, raisonnablement là terre »d'Arménie, de Cypre et de Rodes et des autres »isles de la mer seront défendues et gardées, et le »pouvoir des entrées du Soudan affoiblira moult, »dont il aura moult grand dommage. Et tout le »peuple des Francs Chrestiens qui sont désesperez »de ce que aucune chose ne se faict, se conforte- »ront moult, et donneront plus largement du leur »pour secourir et ayder la Terre Sainncte. Et se au- »cune chose ne se faict assez brièment, li peuple des »Chrestiens sera desesperé, et toute la Chrestienté »sera en grand péril. Et speciaument la Chres- »tienté de delà, si vostre haulte Seigneurie et »beningnité n'y met brièment remède et ayde.»

Aliquantisper Sanuti inceptum ex sententia succedere visum est; barones enim multa polliciti sunt, annoque 1312, Philippus IV edicto sanxit ne, quemadmodum Noster peroptabat, merces aut arma Infidelibus deferrentur [1]. Serius etiam Philippus V

[1] Rex, postquam majorum edicta memoravit, quibus vetabantur Christiani cum Infidelibus commercium facere, eaque a mercatoribus spreta denuntiavit, rursus prohibet ne pueri et puellæ, arma, equi, ferrum, panni pretiosi, etc...... regno extrahantur, et hostibus fidei deferantur. Addit : « Hac sanc- »tione pragmatica statuentes quod personas talium qui ad »hostes fidei res sic prohibitas, vel earum aliquas detulisse

regi Anglorum de Terra Sancta recuperanda scripsit[1], et Carolus IV naves statuit mittendas quæ Latinorum cum Saracenis commercio totis viribus obstarent[2]; nonnulli etiam crucesignati Venetias se contulerunt[3]; nihil autem ultra effectum est, et principes propriis rebus intenti Sanuti propositum obliti sunt[4]. Tunc ille in litteris quæ tristitiæ

» noscentur, vel in posterum deferent quoquomodo, cum » bonis eorum omnibus propriis, et quæ in via ad hostes sunt » deferendæ, banno regio volumus subjacere; res vero quæ de » regno nostro extractæ fuerint vel fraudulenter in via positæ » extrahendi, ipso facto fisci nostri rationibus volumus applicari. » (De Laurière, *Ordonnances des Rois de France de la troisième race*, anno 1312, T. I, pp. 505 et 506.) Eodem edicto manifestum est, ut infra demonstrabitur, tunc temporis religionis studio populos minus esse commotos; fatetur enim Philippus IV a nonnullis arcana et secreta fidelium « super facto passagii Terræ Sanctæ hostibus revelata fuisse. »

Eodem anno, habitum fuit Lutetiæ Parisiorum concilium in quo Philippus cum filio et baronibus crucem accepit. (Michaud, *Biblioth. des croisades*, part. II, p. 638, ex *Annalibus mediolanensibus*, auctore anonymo, ap. Muratori, *Scriptores rerum italicarum*, T. XVI.)

[1] Michaud, *Bibliothèq. des croisades*, part. II, p. 882, ex *Act.* Rym.

[2] Michaud, *Biblioth. des croisades*, part. I, pp. 434-435.

[3] Sanuti epist. XVI.

[4] Ipse Pontifex Johannes XXII regibus Franciæ et Angliæ annis 1318 et 1319 scripsit, ut eos a proposito deterreret; Eduardo mandavit, ut pacem domi confirmaret, priusquam susciperet iter. (Raynald., *Annales eccles.*, anno 1319, No 19.)

monumenta supersunt, dolorem in questus effundere, narrare quomodo Romaniam et insulas vix a Venetis et Genuensibus servatas barbari lacesserent vastarentque; invehi in reges, qui, religionis immemores, aut silerent, aut inania pollicerentur. « Sed, proh dolor! », inquiebat mœrens, « in isto » sacratissimo negotio dormiunt quidem multi quo» rum oculi mundanæ possessionis pulvere sunt » gravati.... [1]. A minore usque ad majorem omnes » dormiunt in hac causa;... temporalia cœlestibus » præponunt, unde multi, licet cum fletu dixerim, » porcis quodam modo similes sunt facti [2].» Denique animum fractus et tædio confectus, id solum rogavit ut Armenia septem aut quinque navibus protegeretur [3], qui olim Christianos omnes sibi auxiliaturos esse speraverat [4].

In epistola ad Philippum V missa, Johannes bellum fieri posse negabat, ideo quod Europæ simul et Orientis regiones seditionibus et bello flagrarent. (Fleury, *Hist. ecclés.*, Liv. XCII, chap. 46.) Jam, anno 1311, multi christiani Romam convenerant, ut susciperent iter; Summus autem Pontifex eos jussit domum reverti. (Michaud, *Biblioth. des croisades*, part. III, p. 4, ex *Annalibus* Henrici Steronis.)

[1] Epist. III.

[2] Epist. IV.

[3] *Secreta fidelium crucis*, p. 7.

[4] Epist. IV. Quanti referret ut Armenia a Christianis defen-

Quædam a Sanuto scripta superest epistola quæ testatur illum usque ad annum 1329 duxisse vitam [1]; abhinc autem de viro nihil memoriæ traditum est, ac verisimile crediderim illum obscura morte exstinctum esse, postquam incepta derelicta vidit a principibus quorum auxilio confisus altiora animo cogitaverat.

X.

Nunc autem quum Sanuti vita et scriptis, qui fuerit, satis superque demonstratum est, non abs re erit, quid valeret illius propositum, exquirere.

Animadvertendum imprimis merito crediderim quanto Noster rei politicæ scientia æquales inter emineat; quæ in *libro Secretorum fidelium crucis* proposuit de mercimoniis Infidelibus auferendis et de expugnanda Ægypto, éa quidem jam antea

deretur Noster plane intellexerat: « Inter Asiam Minorem et »terram subjectam Soldano est media Armenia; qua adepta, »Soldani potentiæ et Turchorum aliorumque Saracenorum, »qui sunt circa partes illas, invicem munirentur, tuncque »crederent posse resistere Tartaris qui dominantur Persiæ et »Caldeæ. » (*Secreta fidelium crucis*, p. 7.)

[1] Tiraboschi, *Storia della letteratura italiana*: in Modena 1789, T. V, p. 461.

in lucem prolata fuerant; quanto autem Sanutus ingenii altitudine cæteris vel scriptoribus vel ducibus præstat! Sæpe enim, quum reges, tum Summi Pontifices, vel legibus vetuerant merces, ligna, arma, servosque præsertim Saracenis adsportari [1]; nulli autem in mentem venerat ita Soldani diruendas opes mercimoniaque per viam aptiorem transferenda. Prohibitum quidem fuerat impiæ religionis odio et nominis Christiani reverentia ne commercium cum Infidelibus habe-

[1] Hancce prohibitionem plurima testantur. Decimo sæculo, Veneti qui jam cum Orientis gentibus negotiabantur, prohibuerunt ne ferrum, ligna aut arma deferrentur Infidelibus. (Michaud, *Hist. des croisades,* T. I, p. 28.) Godefridus, postquam Hierosolyma expugnata sunt, neglecta sæpius edicta renovavit. (*Assises de Jérusalem.* Paris, imprimerie royale, 1843, T. II, p. 45.) In Lateranensi concilio (1179), hæc Alexander III decrevit: « Infideles et impii Christiani qui »Saracenis arma, ferrum et lignamina galearum deferunt, »et ad impugnandum Christianos necessaria subministrant, »vel in galeis eorum sive in pyraticis navibus curam guberna»tionis exercent, excommunicationi subjecti sunt, ac rerum »suarum per principes seculares privatione mulctari et ca»pientium servi fieri censentur. » (*Secreta fidelium crucis*, lib. III, part. IX, cap. 4.) Sanctus Ludovicus dicebat anno 1254: « Arma tamen Saracenis deferri prohibemus, et tam victualia »quam res alias, omni tempore quo Christianis guerram »habebunt. » (*Ordonnances,* T. I, p. 74.) Denique omne commercium cum Infidelibus a Clemente V vetitum fuit anno 1307. (Heeren, *Essai sur l'influence des croisades,* vers. Gall., p. 364. Paris, 1808.)

retur, nec his servi traderentur; multo autem majora Noster amplexus est. Si mercimonia, inquit, non jam in Ægyptum confluxerint, necessario Soldani vires exhaurientur, qui nec naves instruere, nec milites conscribere possit, atque ita Ægyptus facillime invadetur, dum merces alia via expeditius translatæ minori pretio ementur, dumque mercatoribus recta cum Indis negotiari licebit[1]. Quæ quidem quum rationi maxime sint consentanea et certe possint perfici, nonne mireris quarta decima ætate exstitisse virum qui de commercio et rebus publicis talia cogitaret suaderetque? Quod si ad Nostri propositum de Terra Sancta, per Ægypti occupationem, recuperanda, respexeris, consilium jampridem ab aliis initum, hunc tantummodo rursus edidisse constabit; quæ autem cæteri præsenserant quanto prudentius evolvit, et quam reipublicæ gerendæ peritum se præstat! Quo tempore bellum primum in Oriente gestum est, Raimundus de Agiles narrat habitum esse inter Christianos concilium, in quo nonnulli dicebant : « Non eamus ad præsens in Jerusalem, sed versus » Ægyptum et Babyloniam; et si, per gratiam Dei » superare poterimus regem Ægypti, non solum

[1] *Secreta fidelium crucis*, passim.

» Jerusalem, verum etiam Alexandriam et Baby-» loniam et plurima regna obtinebimus [1]. » Ab hoc autem incepto destiterunt crucesignati, ne forte per ignotas regiones iter haberent, ubi omni auxilio destituti vagarentur [2]; sed ad illud propositum Christiani serius reverterunt. Almericus, Ægyptiorum inter dissidia, Ægyptum invasit, baronibus licet obstantibus, plurimasque civitates oppugnavit [3]. Frederico I interempto, quidam inter Arabes Gallorum regi asseruit, expugnata primum Ægypto, certiorem fore Palæstinæ recuperationem, nec multum abfuit quin Richardus suadenti pareret [4]. Quum autem quartum sacrum bellum statutum est, Innocentio III placuit ut, Syria omissa, crucesignati Ægyptum appellerentur [5],

[1] Raimundi de Agiles *Hist. Hierosol.*, ap. Bongars., *Gesta Dei per Francos*, T. I, p. 173.

[2] Ibid.

[3] Willermi Tyrensis *Hist.*, lib. XIX et XX, ap. Bongars, *Gesta Dei per Francos*, T. I.

[4] Quæ quidem facta narrantur in opusculo quod Leibnitius de occupanda Ægypto Ludovico XIV obtulit, et de quo infra agetur. (Michaud, *Hist. des croisades*, T. V, p. 488.) Ea Leibnitius hauserat forsan a Paulo Æmylio Veronensi, *De rebus gestis Francorum*. (*V.* Michaud, *Bibl. des croisades*, part. III, p. 309.)

[5] Ibid.; *Secreta fidelium crucis*, lib. II, part. II, cap. 9; Michaud, *Hist. des croisades*, T. III, p. 312.

et sexto bello exorto, si cuidam inter scriptores qui res a Saracenis gestas narraverunt credideris, concilium habitum fuit Ptolemaide in quo multi dicebant : « Quidni imus in Ægyptum, quum hac » regione subacta, facillime provincias olim armis » quæsitas repetere licebit[1] ? » Denique Sanctus Ludovicus hoc quoque sibi constituit Ægyptum occupare, quippe qui Palæstinam Ægypti domitoris præmium futuram esse arbitraretur. Tanta autem adortis, quum propter temeritatem, tum propter imperitiam res improspere cessit. E supra memoratis, Noster profecto nihil novi excogitavit; at primus intellexit quanti esset momenti Ægyptus inter diversas orbis veteris partes media, quantaque Christianis utilitas futura esset, si regionem a Persis, Alexandroque et Romanis olim expetitam sub ditionem redigerent. Willermus Tyrensis nonnulla quidem de Alexandria et de commercio apud Ægyptios habito retulerat[2]; Noster autem de iis-

[1] Michaud, *Bibl. des croisades*, part. IV, p. 388, ex Ibn-férat.

[2] Lib. XIX, 26. « Sita est autem quantum ad celebranda » commercia commodissime.... De superioribus autem Ægypti » partibus per fluenta Nili, omnimodorum alimentorum copiam » et rerum pene omnium suscipit ubertatem. Verum et de re- » gionibus transmarinis, si qua sunt quæ Ægyptus non habet,

dem minutissima quæque perscrutatur, et curiosius exquirit quid inde sit profuturum, postquam, quomodo Ægyptus sit invadenda, accurate admodum disseruit. « Terra », inquit, « est magis frugifera et delectabilis quam reperiatur in mundo [1] »; sanus ibi aer, probatissima aqua, magna frugum et fructuum copia, propter Nilum uberrima tellus; hic cum Indis commercium facile, hic etiam mercium vectura facilis et magna rerum pretiosissimarum vilitas est [2]. Præterea Ægyptus

» navigio omnis opulentia ministratur; unde amplius qualibet » urbe maritima omnibus commoditatibus dicitur abundare. » Ad hæc ex utraque India, Saba, Arabia, ex utraque etiam » nihilominus Æthiopia, sed et de Perside et aliis circumadja- » centibus provinciis, quidquid aromatum, margaritarum, » orientalium gazarum et peregrinarum mercium, quibus » noster indiget orbis, per mare Rubrum, unde gentibus illis » ad nos iter est, in superiores partes Ægypti, ad eam urbem » quæ Aideb (Aden) dicitur, super ripam ejusdem maris » infertur; id totum ad flumen et inde Alexandriam descendit. » Sic ergo Orientalium et Occidentalium illuc fit concursus » populorum; estque eadem civitas forum publicum utrique » orbi. »

[1] Sanuti epist. XVI.

[2] Lib. II, part. II, cap. 3, 14 et passim. Saraceni quoque quanti momenti esset Ægyptus intellexerant. E quodam inter historicos qui res ab eis gestas scripserunt, Ibn-Aboutaï, Schircou dicebat suis Ægyptum pulcherrimam esse Imperii provinciam, quum fons divitiarum esset nunquam exhauriendus. (Michaud, *Biblioth. des croisades*, part. IV, p. 134.)

firmissimum Soldani stat propugnaculum; hæc igitur invadenda. Abs re quidem esset iterum explicare quidquid de viis et exercitibus supra fusius diximus; nobis autem si concedatur nullum antea consilium attentius prudentiusque reges iniisse, videamus quid e Nostri proposito exoriturum fuisset, si principes quam illi fidem dederant præstitissent. Quum quidem ex Ptolemæorum historia pateat Ægypti dominatores Palæstinam quoque et Syriam facillime sub imperium redegisse, jure Noster asseruit, expugnata Ægypto, liberatum iri Palæstinam [1]; præterea liberum cum Orientis regionibus vel remotissimis commercium, et penes Venetos rerum in Oriente arbitrium fuisset, quippe qui, per mare Internum navibus imperium exercentes, soli fortasse cum Indis, Ægypto potiti., negotiati fuissent [2]. Propositum

[1] « Et satis verisimile est », inquit rectissime Noster, « quod »subjugata terra Ægypti, terra promissionis se tenere non »poterit quin vestræ dominationi subdatur. » (Lib. II, part. I, cap. 3.)

[2] Jacobus Filiasi, in *Ricerche storico critiche*, eadem asserit : «Se lo avessero fatto, el traffico dell' Indie Orientali forse non sarebbe fuggito dalle loro mani. » (Ap. Daru, *Hist. de Venise*, T. III, liv. XIX, p. 76.) Heeren quoque censet Ægypti possessionem necessariam fuisse ut Palæstina servari posset. (*Essai sur l'influence des croisades*, p. 32.)

igitur et quid inde oriturum esset perpendenti, ingenio magnus quidem Sanutus; sed quæ postea evenerunt intuenti multo major sane videbitur. Veneti enim, qui Nostri primum flagitationes negligenter audierant, serius quum Lusitani novum iter ad Indos invenerunt, quumque Albuquercius Nilum avertendum sibi proposuit, miserunt classem quæ Turcas adjuvaret, tanti momenti sibi Ægyptum esse, mutatis animis, arbitrabantur[1]! Cardinalis Ximenes inter Hispaniæ, Lusitaniæ et Angliæ reges fœdus composuit quo Turcis Ægyptus auferretur; verum illius incepta, exstincto Ferdinando, perfici non potuere[2]. Quum vero Ludovicus XIV, in bello adversus Batavos, mox Rhenum superaturus esset, opusculum ei misit Leibnitius in quo easdem atque apud Nostrum sententias non sine quadam admiratione deprehenderis. Leibnitius enim eversum iri Batavorum potestatem sentiebat, dummodo Ægyptus invaderetur. Easdem ille ac Sanutus rationes proferebat; Ægyptum, hanc Orientis Hollandiam, oculum regionum, matrem frugum et commerciorum esse dictitabat,

[1] Daru, *Hist. de Venise*, T. III, p. 114.

[2] Hæc in opusculo Leibnitii memorantur. (Michaud, *Hist. des croisades*, T. V, p. 489.)

et, compluribus de situ et solo relatis, maximam inde Christianitati utilitatem orituram esse pollicebatur; Turcarum enim erutis opibus, liberum cum Indis commercium haberetur, Gallique Oceani et Interni maris imperium obtinerent et rerum arbitrium illud universale « monarchia apud prudentes optabilius [1]. »

Denique dux inter recentiores ingenio et armis præstantissimus, eadem persecutus, Ægyptum aggressus est, ne Angli deinceps cum Indis commercium facerent [2], idque futurum arbitrabatur, si quinquaginta millia familiarum negotiantium cum magistratibus et legibus sedem ibi constituissent [3]. Ex his autem non conjiciendum crediderim philosophum et Gallorum ducem Nostri librum notum habuisse; sed utrumque de tanta re eadem ac Sanutum sensisse nonne mirandum est?

[1] Quod quidem opusculum, diu ignotum, apud Anglos primum editum fuit, anno 1803, tempore quo timebant ne a Gallis rursus Ægyptus invaderetur. Inscribitur : *A summary account of Leibnitz's memoir addressed to Lewis the fourteenth, recommending to that monarch the conquest of Egypt as conductive to the establishing a supreme authority over the governments of Europe.* (Michaud, *Hist. des croisades*, T. V, pp. 486 et sqq.)

[2] M. Thiers, *Hist. de la révol. française*, T. IX, p. 410.

[3] *Mémorial de Sainte-Hélène :* Paris, 1823, T. V, p. 77.

XI.

Sin autem perspicuum est Sanutum inter æquales primas ingenio tenuisse, eumque utilissima Christianis Venetisque imprimis suasisse, et per omnem vitam omni ope atque opera enixum ut bellum moveret, profecto quærendum est quamobrem ut antea non factus sit regum et populorum concursus, et contra eorum incuria res perierit. Hanc esse causam crediderim quod reges et optimates parum curarent, ut procul in deserta regione « ruinisque tantum nobili » gloriam inanem prorsus consequerentur, et domi commoda certa sibi comparare mallent finesque imperii dilatare, quam in Oriente armis quærere regiones quas et subigere difficile et servare difficilius fuisset, quum præterea incepti utilitas ad Venetos solos augendi commercium et colonias tuendi studiosissimos pertineret. Summi Pontifices Avenione sedem habebant, et pristinæ laudis immemores temporalibusque immixti, Christianos eloquentia commovere minus valebant; Angli, vixdum adversus reges sedata seditione, de regno contende-

bant cum Gallis, quorum reges, quum reipublicæ legibus condendæ operam darent, ex imperii finibus hostes propulsare simul conabantur. Germani, ut ex Nostri patet epistolis, iterum invaserant Italiam, quæ populorum dissidiis civitatumque inter se odiis disturbata, armis tumultuque miscebatur. Hispani autem ab Europæ gentibus divisi, rem seorsum agebant, et Græci reformidabant ne a Latinis imperium everteretur, nedum horum auxilium exoptarent. Fac etiam omnes Christianos populos de Sanuti proposito perficiendo consensisse, incertus tamen armorum exitus et anceps belli fortuna. Jam antea cum Infidelibus commercia haberi vetitum fuerat, nec quisquam paruerat imperantibus, et Veneti ipsi, quod parum præscripta servaverant, Christianis pœnas dederant[1]. Domita Ægypto, nihil dubium quin Veneti, rerum nauticarum peritissimi, in Interni maris littoribus et Nili ripis victores consedissent; sed, medio ævo, nullus prope erat nisi de religione animorum voluntatumque consensus, ita ut populi, licet sub eodem vexillo incedentes, omissa tamen militari disciplina, Nostri mandata nequa-

[1] Michaud, *Bibl. des croisades*, part. II, p. 780, e Thoma de Walsingham.

quam peregissent. Absque subsidio igitur derelicti, propriis viribus tanta ad prosperum exitum perducere nequivissent Veneti, qui Alexandriam olim armis occupatam postera die deserere coacti fuerant [1]. At, ut Christiani, superatis tot et tantis impedimentis, rem prospere gessissent; Ægypto potiti, Palæstinam, fateor, recuperassent; sed non ideo Saraceni regno Granatensi fuissent expulsi, nec Græci adversus Summorum Pontificům auctoritatem rebellare desiissent. Num etiam Ægyptus et Palæstina potuissent servari? Olim a Christianis in Palæstina regnum constitutum erat; corruerat autem propter Græcorum malevolentiam, Christianorum dissensiones, horum post victoriam mollitiem, præsertimque regum et populorum Occidentis incuriam. Constantinopoli quoque Latini potiti fuerant, quid autem imperium illorum factum erat? In multas scilicet partes divisum, et reges undique a barbaris lacessiti vitam miserrimam egerant [2]. Frustra, amissis

[1] Daru, *Hist. de Venise*, T. III, p. 77.

[2] Balduinus II, si Nostro credideris, coactus fuit « nonnulla » palatia sua plumbo cooperta nobiliter ab antiquo discooperire, » et plumbi vendere coopertura m, et alia plura agere, ut vivere » posset, augustæ inconvenientia dignitati. » (*Secreta fidelium crucis*, lib. II, part. IV, cap. 18.)

provinciis, Balduinus II confugerat ad Christianos, et postea Genuenses Græcis in instaurando imperio auxiliati fuerant, tanto propter Euxini colonias erga Venetos odio accendebantur! Quæ quidem a Nostro provisa fuerant; quippe qui suaderet Christianis ut inter se concordissime viverent, utque coloni in Palæstinam convenirent, quorum novam tueri patriam interesset. At sane factum fuisset ut, pace ex necessitate dirempta, Terræ Sanctæ incolæ, ab omnibus Europæ gentibus derelicti, barbarorum jugum subirent, utque reges quos nuper Ptolemaidos excidium nihil moverat, in eamdem religionis oblivionem venirent. Concedamus igitur Sanutum virum quidem rei politicæ peritissimum exstitisse, sed in errore versatum quum consilia meditatus sit inania, et quod a nemine effici poterat efficiendum sibi proposuerit.

XII.

Attamen ex Nostri pretiosissimo libro multa insuper haurire est, quibus dilucidum et perspicuum omnino sit qui fuerit quarto decimo sæculo Christianitatis status, et quomodo, animorum ar-

dore sedato, de sacris bellis omnes præsertimque Veneti aliter ac primi crucesignati sentirent.

Quum olim apud Occidentis gentes primum de Terra Sancta recuperanda et Christi sepulcro liberando agitatum est, præclarissimi viri qui crucem prædicaverunt, Silvester II scilicet, Gregorius VII, Petrus Eremita, Urbanus II, Sanctus Bernardus Willermusque Tyrensis, quid utilitatis sive regibus sive populis e bello futurum esset parum curabant. Illi Palæstinæ calamitates depingere, loca ubi Christus cruci fuisset affixus ab Infidelibus contaminata, Christianorum templa ad id eversa ut falsorum numinum simulacra colerentur, ærumnas sanctæ religionis causa peregrinantium narrare, ut arma sumerent fideles urgere, dictitare multa eis perpetienda esse ut terram protegerent in qua Christus morte redemisset animas [1]. Nonnulli, fateor, commodis suis inserviebant; quidam inter principes in Oriente voluptates et regna sperabant, miserrimi « ut creditores suos eluderent se aliis adjungebant [2] »; reipsa autem pauci erant qui animarum salutem negligerent, et com-

[1] Michaud, *Hist. des croisades*, T. I, pp. 31, 61, 73 et sqq.; T. II, pp. 126 et sqq., 302 et sqq.

[2] Willermi Tyrensis *Historiæ*, lib. I, cap. 16.

plures, quæsita peccatorum venia, fore ut in cœlo vita æterna fruerentur confidebant. Serius tantummodo aliquid e pristina fide remissum est, quum necesse fuit videlicet ut regna in Oriente constituta protegerentur, et sacrorum bellorum historiam perlegenti quam crucesignatorum sententiæ sensim immutatæ fuerint manifestum patebit. Quum enim Latini quibus præerat Ludovicus VII, Gallorum rex, Constantinopolim advenerunt, a Lingonensi episcopo in concilio propositum fuit ut per imperii Græcorum excidium bellum inciperetur [1]. Richardus, ambitione incitatus, Cyprum insulam occupavit [2], et in quarto bello, ne Palæstinam quidem adierunt Christiani qui, obstante Summo Pontifice et flagitantibus Venetis, primum Zaram sunt aggressi, ac deinceps Græcorum Imperii provincias inter se diviserunt [3]. Postea ad Ægyptum, firmissimum potestatis Infidelium propugnaculum, conversi, appulsi sunt Johannes Brenensis Sanctusque Ludovicus, quibus, dummodo hanc regionem occuparent, eversum iri Soldani imperium persuasissimum erat [4]. Nostri

[1] Michaud, *Hist. des croisades*, T. II, p. 159.
[2] Ibid., p. 372.
[3] Ibid, T. III, liv. X et XI passim.
[4] Ib., T. III, l. XII passim; T. IV, l. XIV, XV, XVI, passim.

libro planius etiam perspicuum est quem sibi finem proponerent viri qui sacra bella, eversis etiam Palæstinæ coloniis, iterum suscipienda esse arbitrarentur. Certe Sanutus religionis observantissimus erat; sæpius enim in scriptis Terram Sanctam ab Infidelibus occupatam sepulcrumque Christi impia labe notatum ingemit, quinimo ad Summum Pontificem scribit fideles incitandos « ad conquisitionem Palæstinæ, cui proxima est » vallis Josaphat ubi Deus mortuos judicaturus sit, » in qua humani generis creatio et redemptio facta » fuit, patriæ amore et reverentia majestatis » divinæ [1]. » « Quærite, exclamat, regnum Dei, et omnia adjicientur vobis [2]. » Ille vult etiam ut Græci, hæresi abjecta, in Ecclesiæ gremium redeant; fatendum est autem eum sæpius Europæ discrimina, commerciorum utilitatem et patriæ gloriam prospicere. Huic instat potissimum rei, scilicet ut, si Turcæ et Saraceni imperium magis ac magis proferant, Latini in extremum periculum adducti non jam valeant negotiari [3]; at sperat contra, si forte Palæstina sub horum potestatem redigatur,

[1] *Secreta fidelium crucis*, p. 8.
[2] Epist. III.
[3] *Secreta fidelium crucis*, et Epist. passim.

Orientis pretiosissimas merces minori pretio emptum iri et Ægyptum Venetis[1] concessum, qui cum Indis mercaturam faciant[2]. Quæ quidem, etsi admiratione digna, quantum a crucesignatorum abhorrent mente, qui primum nihil ad utilitatem suam retulerant!

Quum olim Christiani in Orientis partes bellum inferebant, Deo pro defensoribus propugnaturo confisi, improvide solebant agere. Subsidiis enim omissis, viri quibus duces præerant inconsulti, una cum pueris et mulieribus, ignari viarum, sine machinis belli, in longinquas regiones proficiscebantur; at brevi ab hostibus circumsepti honestissime occumbebant, et inde tot exercituum strages. Paulatim vero prudentius omnia provisa sunt; electi sunt enim consilio manuque

[1] Sanutus quidem ait: « Ita quod poteritis eam (Ægyptum) »conferre tunc cui vel quibus vestræ Sanctitati placuerit. » (*Secreta fidelium crucis*, lib. II, part. I, cap. 3.) E toto autem libro patet id eum sibi proposuisse, scilicet ut Veneti regionem tamdiu exoptatam occuparent.

[2] « Scilicet, tam de terra propria Ægypti, omnia terræ nascentia percipient et habebunt, quam etiam ex omnibus aliis »partibus, cursus et transitus mercationum omnium de India »in totum auferent, facientes ipsas descendere per Ægyptum, »ut exinde ad partes occidentales mercationes prædictæ »commode transferantur. » (*Secreta fidelium crucis*, lib. II, part. IV, cap. 27.)

prompti duces, exercitus ad disciplinam et ad obsequium informari cœperunt, et cibariis armisque jam comparatis, navibus iter factum est. Philippus-Augustus viros tantum militiæ maturos sibi belli socios adjunxit[1], Sanctusque Ludovicus secum abduxit instrumenta et colonos qui regionem occupatam colerent cultamque tuerentur[2]. Quo tempore Sanutus floruit, quum res militaris jam multum profecisset, apud eum plurima optimaque de bellandi modo præcepta reperias. Qui quidem aptissime docet, ne jam dicta repetantur, quidquid ad vincendum firmandamque victoriam utile sit. Id vero imprimis animadvertendum esse crediderim illum stipendium crucesignatis petere[3]. Hæc « ab omnibus tam principibus quam baro- » nibus civitatumque communitatibus » exigenda putat, « quum plerique ob paupertatem sumptus « necessarios facere nequirent, quumque soldati » melius capitanei mandatis attendant et obediant. » Quæ quidem laudanda sunt si ad exitum belli respexeris; stipendii autem sane puduisset eos qui primum sub crucis vexilla convenerunt, quique

[1] Michaud, *Hist. des croisades*, T. II, liv. VII.
[2] Ibid., T. IV, p. 151.
[3] *Secreta fidelium crucis*, lib. II, part. IV, cap. 19.

ignari viarum et disciplinæ, nullo temporali præmio sibi proposito, mortem in desertis Asiæ ferventibus fortiter oppetebant.

Denique olim, confecto bello, si res improspere cesserat, nonnullis triumphus martyrum præmium incepti videbatur[1]; sin autem relata erat victoria, Deo gratiæ agebantur, rursus ædificabantur ecclesiæ, tantusque erat omnium fervor ut Godefridus coronam recusaverit, in hac reverenda civitate ubi Christus olim spinis (infandum!) coronatus fuerat[2]. Quarto decimo sæculo de his parum curatur; censet quidem Sanutus, liberato Christi sepulcro, « patriarchas redituros Antiochiam, » Constantinopolim, Alexandriam et Hierosolyma. » Addit etiam : « Iterum poterunt visitari multa » loca venerabilia, et præcipue illa quæ Domino » nostro Jesu Christo pro redemptione nostra suis » sanctissimis pedibus placuit visitare, de quibus » Vestra Sanctitas (de Summo Pontifice agitur) » suum posset in processu temporis desiderium ad» implere[3]. » Hæc sane scripta pietatis studio; sed

[1] Vide ea quæ narrantur ex *Itinerario regis Anglorum Richardi*, auctore Gualterio Vinisalf a Michaud, *Biblioth. des croisades*, part. II, p. 725.

[2] Michaud, *Hist. des croisades*, T. I, p. 355.

[3] *Secreta fidelium crucis*, liv. II, part. IV, cap. 28.

aliud Noster mente agitabat, et quem finem præcipuum sibi proponeret in libro profitetur. Id imprimis petit ut Ægyptus Venetis tribuatur quorum mirum in modum imperium et divitiæ crescant, utque, coloniis in Palæstina constitutis, commercii libertas concedatur [1]. Quæ quum ita sint, inferendum est quarto decimo sæculo pietatem haud omnino exstinctam, bella autem magis atque magis utilitatis causa suscepta a regibus et populis, qui, ut Nostri verbis utar, « temporalia cœlestibus præferrent. » Hanc quidem sententiam, quam e Sanuti scriptis expressimus, sane comprobasset vir eruditissimus qui dissertationem scripsit qua demonstraretur Christianos Palæstinam invadentes ad commercia tantum spectavisse [2]. Errat autem ille ad partem tantum rei respiciendo, quum totam complecti deberet, rectiusque nobis sapere videtur auctor gravitate conspicuus cujus verba opusculo nostro præscripta illud fortasse tutabuntur.

Sed quo magis nostra sententia illustretur, quæ fuerint bella in Oriente gesta elapso quarto decimo sæculo summatim perpendamus. Ea enim tem-

[1] *Secreta fidelium crucis*, passim.

[2] De Guignes, *Mémoires de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, T. XXXVII.

pestate, Turcæ per Græcorum dissensiones primum totam Asiam occuparunt, et deinde, trajecto mari, Constantinopolim aggressi sunt. Nunquam profecto bellum magis necessarium fuisset; attamen apud Gallos, milites soli arma sumpsere et ad Nicopolim profligati sunt[1]. Quinto decimo sæculo, postquam Constantinopolis expugnata fuit, nemine obstante, Turcæ Italiam appulsi sunt. Tunc a Summo Pontifice Pio II, qui senior factus juvenis partes agebat, crux prædicata fuit; dux Venetorum et dux Burgundiæ se profecturos quidem polliciti sunt; quum autem Anconam conventum est, tantulus fuit crucesignatorum numerus ut, proposito prætermisso, Pontifex mœrore confectus continuo interierit[2].

XIII.

Quæ autem in Europa fuit, sub medii ævi finem, principum et populorum qui, omisso religionis studio, omnia ex propria utilitate metiebantur, ea jamdudum Italiæ gentium præsertimque Venetorum fuerat agendi ratio. Jampridem enim

[1] Michaud, *Hist. des Croisades*, T. V, pp. 208 et sqq.

[2] Ibid., pp. 275 et sqq. Daru, *Hist. de Venise*, T. II, p. 567.

cum Orientis civitatibus negotiabantur; bellis autem sacris ineuntibus, se Christianis adjunxere, rati scilicet fore ut dilatarentur imperii fines novæque viæ mercibus exportandis aperirentur [1]. Sed, ut mercatoribus proprium est, exarsit cum habendi cupiditate eorum in æmulos odium. In primo bello, præmissa in Orientem classe et cum Pisanis occurrentibus inito prælio, Veneti viginti naves et quinque millia hominum ceperunt [2]. Deinde civitatibus nonnullis potiti sunt in quas Orientis merces advehebantur, et pro victualibus, navibus, omnibusque necessariis Latinis suppeditatis, pacti sunt ut maxima sibi privilegia concederentur, unde fiebat ut plerumque oppidorum parte, ecclesiis, macellis, balneis, furnis donarentur, libere mercaturas facerent, et secundum proprias leges a magistratibus regerentur [3].

[1] Ea est sententia historicorum qui res Venetas scripserunt. — Ils n'adoptèrent jamais les projets de croisade continuellement enfantés par les papes, que lorsqu'ils y furent déterminés par la nécessité de le faire ou par l'espérance d'agrandir leurs colonies de l'Archipel, et, tant qu'ils ne furent pas animés par l'un de ces motifs, ils recherchèrent avec ardeur l'amitié des puissances musulmanes comme un moyen d'enrichir leur état par l'avancement de leur commerce. (Laugier, *Hist. de Venise*, T. VII, p. 180, et ibid., T. II, p. 10.)

[2] Daru, *Hist. de Venise*, T. I, p. 150.

[3] Depping, T. I, pp. 14, 150, 151; Heeren, pp. 334 et

Quam autem religio illis parum curæ esset, intuenti quomodo sese quarto bello gesserint maxime perspicuum videbitur. Crucesignatis quidem naves præbuerunt, sed ea lege ut ad assem magna pecuniæ vis sibi penderetur, eosque secum abduxerunt adversus Zaram de qua cum hostibus contendebant[1]. Quum autem postea bellum adversus Constantinopolitanos decretum fuit, Christianis in auxilium ideo tantum venerunt quod sibi prædæ major pars fuisset promissa, quodque Græcorum Imperator sibi non solvisset debitam pecuniam et benigne Pisanos habuisset[2]; quinimo insimulati sunt pecuniam a Soldano accepisse ne bellum in Ægyptum inferretur[3]. Constantinopoli

sqq.; Pardessus, *Collection des lois maritimes antérieures au XVIIIe siècle*, Paris 1831, T. II, introduct., p. IX; Daru, *Hist. de Venise*, T. I, pp. 153, 163; T. III, liv. XIX, pp. 74 et sqq. — Omnes exempla referunt excerpta e Marini *Storia del commercio de' Veneziani* (Venise, 1796-1808); unum inter omnia notandum reperitur ap. Depping, loc. cit. Vide quoque *Assises de Jerusalem :* Paris, imprimerie royale, 1843, T. II, Introd., p. XXII, ex Willermo Tyrensi, lib. XII, cap. 25.

[1] Michaud, *Hist. des croisades*, liv. X.

[2] Daru, *Hist. de Venise*, T. I, p. 281.

[3] Ibid., p. 282. — Puis après (le Sultan) envoia message et serjans en Venice, et lor donna grant avoir et grans richesses qu'il manda au duc et as Veniciens, et avec ce lor manda salut et amitié, et lor manda s'ils povaient tant faire en nulle manière qu'ils detornassent les Chrestiens qu'ils n'alassent en la

autem expugnata, non tantum hujusce civitatis partem et maris Ægæi insulas, sed sedes commercio idoneas in omnibus oris Interni maris a Dalmatia usque ad Phasim sibi tribuendas curarunt[1]. Denique amissis propter Genuensium invidiam in Euxino coloniis, sæpius Ægypti ripis appulerunt, quippe quæ commercium cum Perside et India facilius redderet. Invitis Summis Pontificibus, fœdere cum Soldanis juncti[2], illuc Occidentis mercimonia importando ac vice sua merces Orientis revehendo, quamplurimum lucri faciebant, quum ea tempestate omnium Europæ regionum mercatores a Venetis commeatus emerent. Abhinc autem toti in rixis cum Genuensibus nulli rei curam

terre d'Egypte, il lor donrait grant avoir et grant franchises au port d'Alixandrie..... Hæc memorat Michaud (*Bibl. des croisades*, part. I, p. 373), excerpta ab historico qui Willermi Tyrensis historiam confecit. — Guntherus propositum eorum qui in quarto bello crucesignatis præerant Venetorum fraude et nequitia impeditum fuisse memorat. (Michaud, *Hist. des croisades*, T. III, p. 86, not. e Canisio, *Monum. Ecclesias.* T. IV, p. 4 à 8.)

[1] Michaud, *Hist. des croisades*, liv. XI; Daru, *Hist. de Venise*, T. I, liv. IV, pp. 339 et sqq.

[2] Fœdera Veneti sanxerant cum omnibus Orientis principibus, christiani essent, nec ne, ut commercium adjuvarent. (Depping, T. II, chap. 8, 9, passim; Heeren, pp. 364 et sqq.) Quibusdam fœderibus hæc inscripta memorat Daru (*Hist. de Venise*, T. III, p. 75): In nomine Domini et Mahumeti.

impenderunt, nisi mercaturæ vicibus, sextoque tantum bello Christianis opem attulerunt[1]. Eversis postea Syriæ coloniis, eumdem religionis neglectum, eamdem quæstus cupiditatem præ se tulerunt.

Anno 1343, Clemens VI Venetos et alias gentes adversus Turcas incitaverat; tantum autem in illis fuit mercaturæ studium ut Hospitalarii, hoc indigne ferentes, duci Venetorum classis imperium abrogaverint. Interea Smyrna capta fuit, et fœdus Veneti cum Turcis inierunt quo naves libere Asiæ Minoris et Africæ portus adirent[2]. Expugnatum est etiam Hydruntum, anno 1480, a Turcis quos ipsi Veneti arcessiverant[3]. Inde in hos exorta est omnium indignatio, et Helianus, Gallorum regis legatus, adversus eos in concilio Augustæ Vindelicorum habito verba fecit odio simul et ira ferventia. Venetis enim exprobravit quod, Syriæ coloniis auxilio destitutis, armisque et opibus Turcis ministratis, erga Genuenses et Pisanos animo egissent infesto, male ita Turcarum et Christianorum officio functi[4]. Quæ quidem, licet ex ira

[1] Daru, *Hist. de Venise*, T. I, p. 358.
[2] Ibid., T. I, pp. 595 et sqq.
[3] Ibid., T. III, p. 6.
[4] Michaud, *Bibl. des croisades*, part. III, pp. 52 et sqq.

profecta videantur, confirmantur tamen ab iis qui sacra bella narravere, quique Venetos Christianis sociis multum profuisse, sed, Italiæ gentium instar, pietatis studio parum incitatos testantur. « Si quidem Italici », inquit Jacobus de Vitriaco, « Terræ Sanctæ valde sunt necessarii non solum » in præliando sed in navali exercitio, in mercimo» niis et peregrinis et victualibus deportandis [1],.... » negotiationibus et mercimoniis plus quam Christi » præliis implicantur [2]. »

Præsertim autem apud Sanutum quærenda sunt argumenta quibus pateat quomodo reipsa Veneti sacris in bellis sese gesserint. Eminet imprimis in toto libro eorum animis insita superbia. Venetiæ, inquit Noster ampullans, nunquam armis expugnatæ sunt, ibique, Italia a barbaris occupata, libertas intacta permansit [3]. Summa igitur belli Venetis permittenda est, quod « socios quidem non dominos velint [4] », et ad perficiendum opus aptissimi sint, quum regio maritima sit, quum cives rebus nauticis assueti [5], quumque perpetuum

[1] *Hist. Orientalis*, I, 67.
[2] Ibid., 73.
[3] *Secreta fidelium crucis*, lib. II, part. III, cap. 1.
[4] Ibid., lib. II, part. IV, cap. 18.
[5] Ibid., lib. II, part. III, cap. 3.

insuper cum Orientis gentibus commercium habeant. Sanutus quidem, ut supra memoratum est, multa refert quæ propriam Venetorumque pietatem aperte indicant, sed librum attente perlegenti manifestum fortasse erit, talia suadentem ad patriæ gloriam et divitias magis quam ad fidei propagationem respexisse. Volebat quidem ut Ecclesiæ in Palæstina restituerentur, sed prævidebat sane, si vectigalia jam non Soldano solverentur, mercimonia minori pretio emptum iri; ut Infideles ex Ægypto expellerentur, sed apprime intelligebat cives, hac regione accepta, magnam inde percepturos utilitatem, quippe qui, decreta commercii libertate, cum Indis etiam negotiari possent. Quodam operis loco, de Italiæ gentibus eadem ac nos de Venetis dicit, ita ut nostra sententia inde firmior evadat. « Italici, exorta in eis æmula» tione mutua », inquit, « insatiabili avaritia lucris » inhiantes, implacabili odio et immortali dis» cordia, libentius contra se pugnant quam contra » impios Agarenos [1]. »

Quum igitur de ea re tot auctores consentiant, nonne concludendum est Venetos sacris in bellis

[1] Lib. III, part. VIII, cap. 5.

nihil antiquius habuisse quam ut opes et reipublicæ potestatem augerent, quum minus apud eos religionis amor valeret? Fatendum autem est longe aliam esse sententiam Foscarini, qui litterarum Venetarum historiam condidit [1]. Qui quidem censet Sanutum pietate tantum in proposito incitatum fuisse [2], Venetosque ideo tantum in causa crucesignatorum stetisse ne Christianos proderent, quum ipsi jam antea commercia haberent cum Oriente; quum, recuperata Palæstina, ejusdem commercii cæteri populi participes futuri essent; quum Imperatores Græci, ipsorum socii, sacra bella detestarentur, quumque insuper Summi Pontifices mercaturas cum transmarinis gentibus prohiberent, ita ut per tres et viginti annos, ab anno 1321 usque ad annum 1344, a Venetis nulla navis in Ægyptum missa sit [3]. Addit etiam Venetos

[1] *Della letteratura Veneziana*, lib. IV. Padova, 1752.

[2] Quanto al Sanudo, chi leggerà quel suo libro, vedrà che il suo zelo, qualunque esso si fosse, eccedente o no, è tutto per la religione e per la gloria del Cristianesimo, e non per alcun profitto della sua patria. (P. 345, N° 19.)

[3] In fatti, troverassi nelle istorie che niuna di quelle guerre fu mossa principalmente da essi, e ch' essendo tuttavia intervenuti quasi a tutte, non v' accorsero precipitosamente, ma solo per non mancare alla religione....... Erano i nostri in possesso de' traficci dell' Oriente molto prima

nullam e bellis sacris utilitatem percepisse, illisque satis fuisse in portubus et littoribus considere [1]. Denique negat Nostri propositum Venetis profuturum fuisse, quum illi eo tempore Soldano fœderibus utilissimis conjuncti essent [2]. Quæ quum gravissima sint, necesse est diligenter perpendamus. Foscarinus ait Venetos cum Christianis societatem belli iniisse invitos, quia nihil inde lucri facturi essent; nostro autem judicio iidem arma sumpsere, rati scilicet certiora sibi commercia, utilioraque fore fœdera cum Christianis quam cum Infidelibus. Fateor equidem cæteros Europæ populos commercii participes futuros fuisse; sed hi non expectaverant donec bella sacra susciperentur ut Orientis gentes adirent? Minime vero negandum est Venetos inde utilitatem percepisse, quum portus, oppida partemque etiam Imperii

delle crociate,... con esse all' incontro il commercio si diramava nelle altre nazioni; gli Imperadori Greci, co' quali per lo più tenevano, le odiavano, e con ragione; per quelle i papi vietavano gagliardamente il mercantare co' popoli Orientali; cosa dannosissima alla città, la quale, per tal cagione, a tempi appunto del Sanudo, stette 23 anni, cioè dal 1321 al 1344, senza mandar navi in Egitto. (Ibid.)

[1] Furosco contenti di signoreggiare e porti e le spiagge. (Ib.)

[2] Quando la Republica passando di buon accordo co' Soldani d'Egitto, e tenendo i migliori porti della Grecia. (Ibid.)

Græcorum obtinuerint. Insuper si Villano fidem adhibeas, Italiæ gentes post Ptolemaidos excidium dimidiam vectigalium partem amiserunt[1], sicque Foscarini argumenta auctoris æqualis sententia infirmantur. Idem Foscarinus negat, quamvis prospere cessisset Sanuti propositum, quidquam inde utilitatis consecuturos fuisse Venetos qui ea tempestate apud Soldanos gratia valebant; num vero fœdera vel utilissima illis plus profuissent quam Ægyptus quæ victoriæ præmium exstitisset? Denique non necessario evenisset ut Europæ gentes mercaturam facerent una cum Venetis qui, accepta Ægypto, obtinuissent rerum arbitrium, et, ut verisimile est, absque æmulis in Oriente imperium tenuissent. Minime igitur aspernanda sunt Foscarini dicta; quum autem hic nimio patriæ amore concitatus, non gravia protulerit argumenta, superest nec infirmatur quæ nobis Sanutum legentibus in animo surrexit sententia.

[1] Onde la Christianita ricevette grandissimo danno, che per la perdita d'Acri non rimase nella Terra Sancta neuna terra per li Christiani, e tutte le buone terre di mercatantia che sono alle nostro marine e frontiere non valsano poi la metade a profitto di mercatantia. (Villani *Historie Fiorentine*, lib. VII, 144; ap. Muratori, *Rerum Italicarum scriptores*, T. XIII.)

XIV.

Parum autem profecit qui in Sanuti scriptis respicit ad ea tantum quæ ad Europæ statum pertinent, quum ex illis de historia, geographia, rebus nauticis et commercio multa quoque exhauriri possint. Quæ quidem attente perquirere jam aggrediemur, ac deinde variis documentis innixi, aut confirmabimus, aut impugnare conabimur.

Ineunte operis tertio libro, Sanutus historiam Terræ Sanctæ breviter obit quam a principio repetitam, ut tunc mos erat, usque narrare pergit quoad recentiores colonias amiserunt, nimirum circa tempora quibus ipse vixit. Inde quidem nihil profecto notandum percipias; priore enim in parte, quæ nempe ad historiam Sanctæ Terræ pertinet ad Romanorum usque imperium, auctor satis habuit libros sanctos Josephique scripta paucis referre, immixtis aliquot illepide dictis[1]. In his autem quæ sequuntur, Jacobum de Vitriaco Willermumque Tyrensem imitatus est. Quod qui-

[1] Vide subtiliorem matris orationem ad filium, dum a Romanis Hierosolyma obsidione cingebantur. (Lib. III, part. I, cap. 14.)

dem de Mahumeto ait, argumento est multum abfuisse ut odia in Infideles eo tempore exstincta essent, quamvis melius cognita essent eorum religionis dogmata [1]. Narrat Carolum Magnum Terra Sancta potitum fuisse, quod certe e fabulis sumpsit quæ medio ævo passim spargebantur de illo rege, cujus facta, ut olim Alexandri, per ora vulgi amplificata erant [2]. Deinde in sacrorum bellorum narratione nihil fere invenias nisi descriptas aliquot urbes regionesque, et quædam de Syriorum moribus Tartarorumque et Christianorum qui in Oriente permanserant, id est Pullanorum. Frigidus et aridus est, quum res memorat ipsius temporibus perfectas, Ptolemaidos, exempli gratia, expugnationem [3]. Quid multa? In illius opere, quemadmodum verborum, ita et rei gravitas desideratur [4].

[1] Lib. III, part. III, cap. 3 et 4. Hæc lepide ait de voluptatibus a propheta nuntiatis : « Bestialibus bestialis gloria promittitur. »

[2] *Mémoires de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, T. XXI. Foncemagne, qui de his doctissime disseruit, censet hanc de Carolo Magno sententiam a quodam Sancti Dionysii monacho pervulgatam esse ex undecimo sæculo.

[3] Lib. III, part. XII, cap. 21.

[4] Nonnulli etiam apud Nostrum errores notantur a De Guignes. (*Mém. de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*,

XV.

Quod si nova facta nostrum apud auctorem minime quærenda sunt, longeque inferior est illis qui primum sacrorum bellorum scripserunt historiam, at certe documentis abundat geographicis; nec mirum, quum geographia imprimis illi curæ esse videatur.

Postquam Romanorum Imperium a barbaris eversum fuit e Germania profectis, geographica doctrina, quam Plinius Ptolemæusque et præsertim Strabo in tantum extulerant, in oblivione, ut alia multa, jacuit. Victoribus nulla erat vel finitimarum regionum cognitio; quæ quidem inscitia commercii difficultatibus, asperitate locorum et permultis itineris periculis etiam augebatur. Quum autem Occidentis populi primum Orienti bellum intulerunt, ignari erant locorum per quæ ipsis transitus erat; libenter quidem ubicumque,

T. XXXVII, p. 492.) De historia non ea tantum Sanutus narraverat de quibus hic agitur; nuperrime in bibliotheca Sancti Marci, Venetiis, inventum fuit opus *De Imperio Romaniæ*, ab eo scriptum anno 1328, quod edendum curabit inventor, Carolus Hopf. (*Bulletin des Sociétés savantes*, 19 mai 1855.)

puerorum more, quæsivissent num Hierosolyma hæc essent, ubique regiones se reperire existimabant in Sanctis Libris dictas, et in Bagdad aut Cairo, urbibus a Saracenis ædificatas, eversam Babylonem videbant [1]. In tabulis geographicis illo tempore confectis terrarum nec figura nec termini descripti erant; ibi promiscue tantummodo annotata ea quibus in quaque regione vehementer movebantur viatorum animi, animalia scilicet, ædificia et homines variis vestibus induti. Una ex his tabulis, quam vidit vir inter recentiores doctissimus, exhibebat mediis in terris Hierosolyma posita et omnes Palæstinæ Syriæque et Ægypti urbes promiscue agglomeratas et indicatas ædificiis, sicut Hierosolymorum indicium erat templum cruce signatum [2]. Bella autem sacra geographiæ studium mirum in modum in omnium animis incenderunt. Magis ac magis igitur innotuere vicinæ Danubio regiones primis temporibus pera-

[1] Michaud, *Hist. des croisades*, T. VI, pp. 306 et 307; Choiseul d'Aillecourt, *De l'influence des croisades*: Paris, 1809, p. 178.

[2] Michaud, *Hist. des croisades*, T. VI, p. 308; Heeren, p. 434. — Hierosolyma in media orbis parte sita dictitabat quoque Robertus monarchus in Historia Hierosolymitana. (*Gesta Dei per Francos*, T. I, p. 31.)

gratæ, Græcorum Imperium anno 1204 subactum, Asia Minor toties armis occupata, Armenia cui fœdere conjuncti reges erant, Palæstina in qua regnum constitutum, et Ægyptus oraque Africæ Septentrionalis ad quas Sanctus Ludovicus semel atque iterum victor est appulsus. Redivivi quoque commercii causa, Septentrionis regiones, terræque oras maris Interni juxta jacentes, et ejusdem maris insulæ exploratæ sunt. Iisdem vero temporibus, impavidi viri Christianam propagaturi fidem, aut mercatores lucri appetentes, in remotissimas usque Orientis regiones penetrare ausi sunt, quæ quidem ex quo Imperium Romanum erat eversum, ignotæ remanserant. Anno 1245, monachus quidam, Ascelinus nomine, ad ducem Tartarorum a Summo Pontifice Innocentio IV missus est, Syria, Mesopotamia et Perside trajectis, terras usque in orientalibus maris Caspii littoribus jacentes adiit[1]; eodem ipso anno, Johannes de Plano Carpini regiones omnes transiit a Tartaris in Asia occupatas[2]; anno 1253, Sancti Ludovici legatus, Willermus de Rubruquis, ad Karacorum usque

[1] Malte-Brun, *Précis de la géographie universelle:* Paris, 1840, T. I, p. 227.

[2] Ibid., p. 228.

pervenit in oris fluminis Onon positum, ibique constitutos Europæ incolas invenit[1]: denique ab anno 1271 usque ad annum 1295, Venetus Marcus-Paulus, tota Asia peragrata, Indiam, peninsulam ultra Gangeticam, insulas infra continentem Asiaticum jacentes et regiones a recentioribus *Chine* et *Japon* vocatas quas nominibus Zipangu et Cathay designavit, imo et in Africa totam oram orientalem, ne excepta quidem insula quæ nunc dicitur *Madagascar,* exploravit[2].

Editæ sunt horum itinerum narrationes in quibus errores quidem fabulosæque descriptiones occurrunt, viatorum credulitatis et inscitiæ indicium; jam autem non nihil profectum erat, et manifestum est ex Sanuti scriptis quam late pateret quarto decimo sæculo locorum gentiumque gnaritas.

Ille enim tabulis de quibus mentio facta est,

[1] Ibid., p. 230.

[2] Choiseul d'Aillecourt, *De l'influence des croisades*, p. 180. — De frequentissimo eo tempore populorum Occidentis cum Tartaris Asiam incolentibus commercio, vide Abel de Remusat, *Mémoires de l'Académie des inscriptions et belles-lettres,* T. VI et VII; Charrière, *Précis des relations de la France dans le Levant*, præfat., T. I, passim; de Marci-Pauli itineribus, Malte-Brun, T. I, p. 234 et sq.

quamdam addidit orbis universi delineationem, ineleganter quidem adumbratam, non parvi tamen æstimandam. Ibi descriptæ sunt, undique mari circumdatæ, Europa Asiaque et Africa, quarum incertæ sunt figuræ divisionesque maximæ tantum indicatæ.

In Europa, regiones illæ quæ ad aquilonem spectant usque ad Oceanum Septentrionalem quidem, verum confusius circumscriptæ sunt; Norwegia et Suetia isthmo arctiori cum continente sunt conjunctæ; Anglia, Scotia, Hibernia, Dacia, a Rutenis habitata regio incondite prorsus, non diffiteor, delineatæ sunt, qua tamen parte jaceant certum indicium est. Centralis meridionalisque Europa, item; hoc fere tantum in hac tabula reprehenderim quod pauciora sint locorum indicia. Apud Anglos enim nullam urbem indicat, in Gallia Lutetiam tantum Tolosamque meminit, in Hispania Sibiliam et Gades.

Asia vero, eodem modo quo temporibus Græcorum et Alexandri, bello scilicet, melius explorata erat, arcanaque illa retecta erant de quibus tot fabulæ narrabantur. Asia Minor cum divisionibus optime nota erat, Syriæ Phœnicesque oræ Palæstinaque ita peragratæ fuerant ut Noster urbes

portusque singillatim describere potuerit, additis etiam de quibusdam propriis documentis quæ admodum raro apud scriptores illius temporis reperimus. Jam vero Arabum deserta investigata fuerant, ipsaque Mecha ubi sita esset diligentius compertum, quamvis nondum nota esset regionis figura. Regionum autem ultra Euphratem, æquum est dicere geographicam scientiam nondum certam exstitisse. Haud quidem ignotum erat ingens mare quod Asiam orientalem alluit, interiora vero omnia locum dabant fabulis ineptisque narrationibus quibus et Noster et posteri decepti fuere. Fallit enim eum quæ vera sit Indiæ forma; id tantum miratur quod ibi nascuntur elephantes. Mediam incolere censet Tartaros, de quorum moribus ea in libro scripsit quæ perlegere operæ pretium est. Tum confusius Gog et Magog castra permiscet, sedemque Presbyteri hujus Johannis de quo tam inepta medio ævo dictitata sunt. De Sinensi Imperio a Marco-Paulo aliisque viatoribus adito, nihil apud eum; in septentrione tantummodo locat Imperium Cathay dictum, quod nihil aliud videtur nisi illud ipsum Sinense Imperium. Unde intelligitur eum nihil certum docere nisi quod ad Occidentem pertineat; magnos tamen

progressus jam adnotaveris; constat enim Christ. Cólumbum, medii ævi auctorum narrationibus deceptum, occidentem versus Indiæ extensionem quærendam suscepisse[1].

Africæ magis etiam quam Asiæ Noster erat inscius; illi tamen Ægyptus et ora septentrionalis adeo pernotæ erant, ut omnes urbes et portus ordine certo describere potuerit. Quarum regionum descriptionem si excipias, quot et quantis in erroribus versatur! Formam quidem ignorat Africæ; latiorem enim ad meridiem quam ad septentrionem eam effingit, partem interiorem propter calorem nulli habitatam dicit, nihil de insulis occidentem versus spectantibus memorat, in medio Getuliam falso indicat, in Nubia incertos collocat Nili fontes, cujus de cursu alibi nonnulla refert perlegenda, denique prope littus orientale Zinziber dictum (id est Zanguebar) quamdam deprehendas insulam quæ insula piperis vocatur (Madagascar?).

In altera tabula accuratius Syriæ et Ægypti oræ depictæ sunt; portus imprimis oppidaque ex ordine certo collocata a mari usque ad Babyloniam, quæ prope Nili ripas sita est. Pyramides, de quibus

[1] Robertson, *History of America*, II.

apud auctores eo tempore nulla mentio facta est[1], ita designantur : « Istas turres fecit Pharao in capite solitudinis. » Attamen nonnulli errores notandi sunt : isthmus quo Asiæ Africa conjungitur multo latius patet, Arabia quadratam nimis habet formam, denique ultra Palæstinam nihil nisi incerta occurrunt[2].

Præter illas tabulas per quas, etsi rustice factas, geographia progredi potest, de eadem scientia in Sanuti libro multa colligas. Regiones septentrionales, quas parum Romani noverant, diligenter eo tempore erant exploratæ, quum Noster, Holsatia et Sclavia peragratis, suadeat ut nautæ apti ad expugnandam Ægyptum conscribantur in Suetia, Norwegia, Flandria, Germania, apud Frisones et populos qui comitatus Gelleræ et Clevæ habitant[3]. De terris mari Interno adjacentibus, ex quo bella fidei Christianæ causa propagandæ suscepta fuerant, toties lustratis, Noster nihil memorat, et prætermittit Siciliam, Cyprum, Rhodum, maris Ægæi insulas quas tamen optime noverat. Re-

[1] Michaud, *Hist. des croisades*, T. VI, p. 307.

[2] *Gesta Dei per Francos*, T. II. — Inter tabulas, una deest qua mare Internum depictum erat. (*Biograph. univers.*, vo *Sanuto.*)

[3] *Secret. fid. crucis*, lib. II, part. IV, cap. 18.

giones vero magis ab occidente distantes, Africæ[1] Asiæque Minoris[2], Syriæ[3] et Ægypti[4] oras, exempli gratia, singillatim et prolixe depingit; in his autem descriptionibus nulla eminent, ac de portubus et oppidis, nihil nisi nomen indicatur. Nihilominus in Nostri scriptis reperias fines regni Hierosolymitani inter quatuor principes divisi[5], ibidemque de Antiochia[6], Tyro[7], Hierosolymis[8], Nazareth[9] et præsertim de Nilo[10] quædam occurrunt minime aspernanda. Crediderim tamen Sanutum sibi proposuisse ut opus nautis utile scriberet, eumque utrum viris eruditis placeret necne parum curavisse. Trans Euphratem viatores, sæpius facto per Asiam itinere, de Tartarorum imperio multa retulerant; Sanutus quoque de iisdem regionibus ac populis nonnulla in lucem profert, quæ quidem e Vincentio Bellovacensi excerpsit[11]. Ea demum

[1] Lib. II, part. IV, cap. 25.
[2] Ibid., cap. 26.
[3] Lib. III, part. VI, cap. 18; part. XIV, cap. 2.
[4] Lib. III, part. XIV, cap. 12.
[5] Lib. III, part. VII, cap. 1.
[6] Lib. III, part. V, cap. 4.
[7] Lib. III, part. VI, cap. 12.
[8] Lib. III, part. VII, cap. 2.
[9] Ibid.
[10] Lib. I, part. I, cap. 6.
[11] Lib. III, part. XIII, cap. 9

quæ de India narrat et de viis per quas mercimonia transvehebantur, argumento sunt nullam eo tempore Asiæ regionem ignotam fuisse, quamvis de hac orbis parte multa adhuc incerta dicerentur.

XVI.

Profecto non tantopere esset exculta scientia geographica nisi ars nautica profecisset, quæ in quantum crevisset ex plurimis Sanuti locis colligere est [1]. Jam scite ædificatæ et bene dispositæ commeatibusque instructæ naves quæ plurimos milites haberent; jam quoque hieme navigare inceptum [2]; denique per nauticam pyxidem, cujus frequentior erat usus, longæ peregrinationes fieri poterant [3].

[1] Lib. III, part. IV, passim; Michaud, *Biblioth. des croisades*, part. II, 675, *ex itinerario regis Anglorum Richardi.*

[2] Viri quibus ut Sanuti opus recognoscerent mandatum fuerat a Summo Pontifice, hæc referunt : « Quia hodie navigatur per mare in hieme magis solito. » (*Secret. fid. crucis*, p. 4.)

[3] Hæc apud Nostrum testantur nonnulla : « Quin potius », ait « magnes attrahit ferrum, quia nobiliori modo in magnete » virtus sui principii poli artici reperitur. » (Ibid., p. 8.) « Acus » ferrea postquam adamantem contigerit, ad stellam septen-» trionalem, quæ velut axis firmamenti, aliis vergentibus, non

XVII.

Quærenti autem e Sanuti scriptis quæ fuerint, eo tempore quo vixit, populorum inter se commercia, sane videbitur illius librum majoris etiam esse pretii, quum Veneti præsertim commercio studiose diligenterque consuluerent.

Postquam a Germanis eversum undique ruinas dedit Romanorum Imperium, nulla jam fuerunt commercia, quum variarum regionum incolæ, nullis usibus conjuncti, religione simul et moribus dispares essent. Attamen, luxuria ad barbaros subrepente, cum Orientis nationibus commercia renovata sunt, multisque probatur exemplis in Dagoberti et Caroli Magni palatiis nonnulla fulsisse ornamenta quæ sane ex his orbis partibus translata fuerant. Quomodo vero merces eo tempore deferrentur haud omnino compertum; constat tamen eas a Sarmatis per Istri vallem Byzantio importatas fuisse, dum raræ naves e portubus Interno mari adjacentibus egressæ, ad Syriæ et

» movetur, semper convertitur, unde valde necessarius est » navigantibus in mari. » (Jacobi de Vitriaco, *Hist. Hierosol.*; *Gesta Dei per Francos*, T. I, p. 1106.)

Africæ ripas appellerentur, ubi arma, metalla pretiosique panni arte singulari et apud inurbanos Occidentis incolas ignota, fabricabantur [1]. Postquam autem bella sacra suscepta sunt, in civitatibus præsertim Italiæ recrudescente habendi cupiditate, rursus mercatura facta est, et Veneti Genuensesque et Pisani maximum quæstum fecerunt e coloniis quæ in Oriente a victoribus Christianis constitutæ erant ; impetratis enim maximis privilegiis, urbes et provincias sibi vindicavere, ita ut, quoad commercia, rerum arbitrium obtinuerint. Inter omnes Veneti, quum imperio, tum divitiis eminebant, et apud Sanutum, de nationibus quibuscum negotiabantur, de mercimoniis etiam eo tempore usu receptis, præsertimque de Ægypto quæ illis tanti erat pretii ut nihil antiquius haberent quam ut eam armis occuparent, multa sane occurrunt. Veneti cum septentrionalibus regionibus commercium faciebant ; e Dacia et Norwegia « bladum in magna quantitate, sepum,

[1] De Guignes, *Mémoires de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, T. XXXVII; Depping, T. I, p. 150. Veneti a decimo sæculo cum Orientis gentibus commercium faciebant ; salem et pisces vehebant, atque Orientis mercimonia per urbes Italiæ profundebant. (Daru, *Hist. de Venise*, T. I, p. 121.)

»coria boum et alia multa necessaria arcessebant; »e quadam terra quæ Signa dicebatur aliisque Sclavoniæ locis multum lignaminis cum salitis car»nibus trahi poterant et haberi [1] »; ex istis quoque regionibus et iis quæ Germanico adjacebant mari nautas comparabant peritissimos [2], præsertimque apud Flandriæ incolas qui quidem, post Constantinopolis obsidionem, cum Venetis tam firma societate juncti erant, ut multi Venetiis sæpe commorarentur atque etiam inter reipublicæ milites stipendia facerent [3]. « E Corsica lignum, e Marchia »Anconæ et Romandiola multum vini, e Venetiis »ferrum et sextoria advehebantur; regnum Siciliæ, »ducatus Apuliæ et Capuæ principatus multam »præbebant segetem, multumque vini et olei cum »carnibus salitis, caseo, cumino ac fructibus arbo»rum affluenter [4]. Ex oris maris Ionici trahebatur »lignum quercinum, cum cætero bestiarum nu»mero; e terra autem quam Græci tenebant [5] ligna»men, ferrum et seges habebantur; ita quoque de »omnibus etiam maris Ægæi insulis; e Melo multi

1 *Secreta fidelium crucis*, lib. II, part. IV, cap. 13.
2 Ibid., cap. 18.
3 Ibid.
4 Ibid., cap. 13, et Sanuti epist. III.
5 Ibid.; Depping, T. I, pp. 112 et sq.

»lapides ad molendum, e Creta, ex insula Cyprensi[1] »aliisque multa seges, cum vino, caseo, lignamine, »pice, paleis, bestiis et sale colligebantur[2].» In his omnibus locis Veneti factores habebant qui necessaria emerent, Nosterque censet nonnullos apud Pisanos, Genuenses et Provinciæ incolas etiam constituendos esse[3]; verum imprimis Veneti negotiabantur cum Orientis regionibus, quo tribus viis ex Asia interiori merces jamdudum affluebant. Noster non meminisse videtur illius viæ qua e portubus Euxini mercatores, per regiones a Tartaris habitatas, extremas etiam Orientis partes perlustrare audebant[4]; nec mirum quum Veneti a

[1] De commercio cum hujusce insulæ incolis : Depping, T. I, pp. 104 et sqq.

[2] Lib. II, part. IV, cap. 13. Nihil Noster memorat de Asia Minori, Rhodoque et Armenia, quæ tamen multa præbebant. (Depping, T. I, pp. 109 et sqq., 131 et sqq.) De Euxino multa seges ut nunc habebatur (ibid., pp. 179-180); Africa interior tum divitiis abundabat (Daru, T. III, liv. XIX, p. 77). His addenda essent ea quæ de Venetorum cum diversis orbis gentibus referunt abundanter Daru (ibid., pp. 100 et sqq.), Pardessus (T. II et III, Introd.); non autem hic locus, quum in Sanuti tantum libro utilia investigare nobis in animo sit.

[3] Lib. II, part. IV, cap. 13.

[4] Choiseul d'Aillecourt, p. 110; Depping, T. I, pp. 121 et sq.; Malte-Brun, T. I, pp. 217, 218; Heeren, pp. 353 et sq.; Pardessus, T. II, Introd., pp. x, xiv et sq.

Genuensibus ex hac orbis parte recenter expulsi fuissent. Nonnulla autem in Nostri libro deprehendere est de viis per quas Orientis mercimonia in maritimas Asiæ vel Africæ partes adventabant, quarum una per Ormuz, Euphratis ripas, Bagdad, Thorisium, Antiochiam et Lyciam ad Interni maris oras tendebat : hac scilicet advehebantur merces tantummodo ponderis modici et magni pretii, quum « conductus mercium magnas expensas sustineret de salmatio vel vectura [1]. » Altera vero primum ad Aden in Arabum terras acta erat; inde merces per mare Rubrum transvecta usque in Ægypti ripas, deinde dorso camelorum Babylonem ferebantur, denique crescentibus Nili undis, facili cursu usque in urbem Alexandriam et portus in littore maris Interni sitos perveniebant. Hanc autem viam majori mercatorum frequentia celebratam Noster asserit, ex quo Syriæ oppida ab Infidelibus expugnata ceciderant [2]. Ex his terris a Venetis speciariæ et cætera Orientis

[1] Lib. I, part. I, cap. 1; Depping, T. I, pp. 81 et sq.; Pardessus, T. II, Introd., pp. xx et sq.

[2] Lib. I, part. I, cap. 1; Choiseul d'Aillecourt, p. 110; Depping, T. I, pp. 47 et sq. Nonnulla memorat idem de Aden et Alexandria, pp. 62 et sq.; Heeren, p. 367, e Marini *Storia del commercio de' Veneziani;* Pardessus, T. II, Introd., p. xxiii.

mercimonia, « ut cubebe, spicum, gariofili, nuces »muscatæ, maci, piper, thus, cannella, bombyx, »zucharum, linum cum serico mixtum, dactyli et »cassia fistula quærebantur [1], et vicissim ab eis »ferebantur in Ægyptum ea quibus regio illa indi»gebat, aurum scilicet, argentum, æs, stagnum, »plumbum, argentum vivum, coralli, ambrum, »oleum, mel, avellanæ, amygdalæ, crocus, mastica, »bladum, safframen, ramum, panni lanæ ac serici »ac tellæ, præsertimque lignamen, ferrum, pix ad »naves ædificandas necessaria [2] », atque etiam (proh pudor!) arma, pueri et puellæ, etsi sæpius istius commercii prohibitio a Summis Pontificibus et regibus sive in Oriente, sive in Occidente, vulgata erat [3]. De his omnibus in regna importatis aut indè exportatis Soldanus vectigalia maxima percipiebat; « de auro scilicet sex et duæ tertiæ pro centenario »solvebantur, de argento decem, de ære quartum, »de stagno quintum, itemque de argento vivo, »plumbo, corallis et ambro, ita ut tertium prope

[1] Lib. I, part. I, cap. 1, 2, 3; Depping, T. I, pp. 59 et sq.

[2] Lib. I, part. I, cap. 4, 5, 6; Depping, ibid.

[3] Nihil apud nostrum invenias de hac Venetorum consuetudine, quam multa testantur. (*Voy.* Depping, T. I, p. 57.) Jam dudum Imperatores Constantinopolitani querebantur de commercio servorum a Venetis cum Infidelibus facto, et,

*

»valoris mercium ærarium intraret[1] ». Ex his plane intelligendum quanti Venetorum interesset ut Soldano Ægyptus auferretur, quum, si Christianis aut etiam ipsis hæc regio fuisset concessa, jam nulla solvenda tributa, rectaque cum Indis negotiaturi fuissent[2], atque quamplurimum lucri facturi, merces ab extremis Orientis partibus transvectas omnibus Occidentis regionibus prope soli dispertientes.

Quæ autem Christianorum commercio obstabant, nonnulla attulere commoda; ut enim vectigalia a Soldano imposita effugerent, quarumdam regio-

anno 959, vetiti fuere Reipublicæ cives arma et lignamina Saracenis afferre. Jussa contempta sunt; ac Summi Pontifices delinquentibus gravissimas etiam pœnas frustra sunt minati. (Depping, T. I, pp. 77, 78; T. II, pp. 172, 185 et sq.; Heeren, p. 316; Daru, T. III, pp. 78 et sq., 84 et sq.) Multos servos ab uno inter Pontifices redemptos fuisse hic memorat, quos in Africa vendere Veneti nitebantur. Omnia quæ de servorum commercio referunt illi auctores excerpta sunt e Marini *Storia del commercio de' Veneziani;* hic autem liber vulgo desideratur, et Hallamius, rerum historicarum eruditissimus investigator, eum a se nusquam inventum esse fatetur.

[1] Lib. I, part. I, cap. 4.

[2] Multa obstabant quominus mercatores libere in Ægypto negotiarentur. «Soldanus vero,» inquit Noster, «per terras »quas tenet non permittit aliquem Christianum transire qui »in Indiam cupiat transire.» (Lib. I, part. I, cap. 1.) Abscondebant aquam incolæ «ne ab alienigenis posset reperiri.» (Ibid., cap. 6.)

num incolæ sibi necessaria ipsi fabricati sunt, et Nostri libro probatur « bombycem jam eo tempore »in Sicilia, in Creta, in Romania et in Cypro in »bona quantitate natam esse », dum zucharum in Rhodo, Amorea, Marta cresceret, unde etiam in Americam transvectum fuisse memoratur[1].

De omnibus ad commercium spectantibus jam eo tempore Veneti recte sentiebant; maturius enim apud eos banca cambii exstitit[2], et apud Sanutum non sine admiratione quadam passim deprehendas nonnullas sententias de quibus inter peritissimos adhuc disputatur. Ille enim sæpius mercatoribus vindicat perfectam absolutamque commercii libertatem. Quod si forte creandos esse factores arbitratur, petit ut « sint securi et absque »datio seu teloneo gradi valeant et redire et etiam »permanere. » Postquam recuperata fuerit Terra Sancta, « cavendum, » inquit, « ne fideles ad

[1] Lib. I, part. I, cap. 2; Heeren, p. 393. — De officinis ubi in Sicilia panni cum serico mixti fabricabantur. (Ibid.; Pardessus, T. III, Introd., pp. LX et sq. De zucharo, Heeren, pp. 397 et sq.)

[2] Depping, T. I, p. 175. — Erant apud Venetos magistratus qui de rebus ad commercium spectantibus dijudicabant. (Ibid., T. II, pp. 5 et 6.) — Instituerant antiquitus consules in omnibus prope Orientis civitatibus. (Ibid., T. II, pp. 30 et sq.; Daru, T. III, pp. 91 et sq.)

»conquisitas terras cum mercationibus vel quibus»cumque rebus accedentibus angarientur in aliquo, »vel graventur datiis vel gabellis, et similiter quæ »voluerint extrahere libere permittantur. Per hoc »enim major erit rerum copia, mercatorum fre»quentia, et concursus etiam cæterorum ad inco»lendam Terram Sanctam properantium; habi»tatores nihilominus terræ plenius necessariis »affluent, et sua commoda assequentur.» Hæc etiam addit quibus sententia perspicua magis et dilucida: « Quia datium nihil aliud esse commu»niter æstimatur quam furtum aut rapina squalido »satis colore vestita, non sine urgenti necessitate, »cum multa deliberatione multoque moderamine, »commercium vel datium imponendum.[1] » Pernota utique, quoad commercium, Venetorum indole, Sanutum, talia scribentem, non omnibus, Venetis autem solis libertatem commercii vindicasse crediderim. Nonne autem mirandum est, eo tempore quo quasi in cunis adhuc erat scientia politica, virum exstitisse qui de rebus ad commercium spectantibus ita saperet et perspicue adeo loqueretur?

[1] L. III, part. XV, cap. 25.

XVIII.

CONCLUSIO.

Quid nunc inferendum est ex supra dictis et documentis etiam quæ ab auctore, pro sæculo tam rudi, præstantissimo exhausimus?

I. Postquam bella sacra confecta sunt, novus in Europa rerum ordo illuxit. Fides quidem, quæ tot memoranda facta pepererat, non erat penitus exstincta, recrudescentibus autem Christianorum ærumnis, debilitata nutabat. Summi enim Pontifices, sede Avenione constituta, quidquid olim magni meditati erant obliviscebantur; nihil nisi utilia spectabant reges, dum gentes maritimæ, commercio intentæ, omnia ad quæstum revocabant. Tunc primum exstitere viri politici, qui, religionis propagandæ incuriosi, edidere sententias illas apud recentiores forte nimis celebratas, quæ divitias commercio partas et potestatem prolatis finibus auctam summo in honore collocant.

II. Quod quidem imprimis probatur scriptis eorum qui, tertio decimo sæculo elapso, sacra bella iteranda arbitrati sunt. Unus, cujus nomen

incertum, quum Terram Sanctam recuperandam jure censeat, primum petit ut Ecclesia universalis reformetur; ut clericis, qui ita rebus cœlestibus tantummodo invigilent, reditus auferantur, utque post certam victoriam tribuatur Carolo Valesio Græcorum imperium. Ex quo manifestum est, quum insuper in anonymi libro de pace inter Europæ reges confirmanda sæpius agatur, jam tum consenescere Ecclesiæ auctoritatem, cujus antea nomen sanctissimum maximumque videbatur, novisque opus esse incitamentis quibus fideles ad Christi sepulcrum liberandum impellerentur.

III. Apud alterum, Marinum Sanutum scilicet, multo majoribus dotibus præditum, facilius etiam deprehendas quam aliter atque antea, mutatis animis, de iisdem vel maximi viri sentirent. Hic enim, pietate insignis, sperat quidem Palæstinam quasi præmium victoriæ futuram, imo et confidit fore ut Mahumeti sectatores expellantur et radicitus tollatur schismaticorum hæresis; multo magis autem calamitatibus Europæ instantibus commovetur, eaque solertissime prænuntiat. Intelligit nempe, nisi Christiani totis viribus obsistant Infidelibus qui jam Græciam invasere, Constantinopolim

expugnatum iri, ideoque Latinis pro propria salute aliquando dimicandum. Quæ penitus animo infixa ut in lucem edat, librum scribit ingenio simul et scientia politica præstantissimum. Censet primum diruendas opes Soldani Ægyptiaci quocum nulla deinceps commercia habenda sint, posteaque domandam Ægyptum, unde et ipsa Palæstina Latinorum in ditionem necessario ventura sit. Hæc autem ab aliis tradita postquam curavit enucleanda, et de viis, militia, navibus et sumptibus disseruit sapientissime, plura et majora complectitur quam antea solebant viri politici. Plane enim intelligit quanti referat ut a Latinis teneatur Ægyptus, quum ea regio inter omnes veteris orbis partes sita, ad id nata videatur ut Orientis Occidentisque mercimonia gremio excipiat, et deinde quid ex ejus occupatione profuturum sit mirum in modum evolvit. Ostendit enim quomodo merces magnis sumptibus per Syriam in portus maris Interni transvectæ, deinceps per viam expeditiorem et minori pretio emendæ, Alexandriam ex necessitate deferendæ sint. Quot et quanta inde commoda! Veneti enim, qui regionem armis quæsitam obtinuissent, in Interno mari classibus, in Oriente vero commercio ad summum fastigium evecti

fuissent, frustraque Lusitani circum Africam iter facientes in Indiam essent appulsi; denique maturius in Europa floruisset humanior cultus, ut tum fieri solet quum gentes commercio simul et artibus permiscentur.

IV. Noster autem, quum ipsius propositum a Venetis tantum, de quibus imprimis agebatur, eo tempore perfici posset, frustra omnes Europæ partes perlustravit, et reges principesque quos adiit ad sententiam flectere conatus est; nihil nisi vacua et inania promissa, curæ et laboris præmium, obtinuit, neglectaque sunt illius consilia, quæ tantummodo scientiæ in irritum impensæ monumenta superfuere.

V. Sanutus igitur, qui esset Europæ status, quoque hominum animi spectarent cura rerum terrenarum a cœlestibus deterriti non omnino intellexerat, et librum ejus, quamvis auctorem ingenio præstantissimum et sententiis æquales antecedentem indicet, inter opera ad usum pertinentia annumerandum minime crediderim.

VI. Præterea in hocce libro, quo tam multa de rebus politicis non aspernanda continentur, gravissima documenta invenias de Venetorum in sacris bellis indole, qui, superbia elati et æmulis invi-

dentes, huic rei imprimis studebant, scilicet ut commercia maritimumque imperium dilatarent.

VII. Nostri opere probatur etiam, si res probanda esset, sacra bella Europæ multum profuisse. Tunc enim, regionibus quæ veteribus ignotæ erant primum exploratis, ita processit scientia geographica, ut e narrationibus viatorum medii ævi Columbus Occidentem versus quærendi terras consilium inierit. Artis nauticæ peritiores facti, Europæ incolæ jam longa itinera suscipere potuerunt; merces in insulis Interni maris fabricatæ sunt, et gentes quamcunque orbis partem incolebant, mutuo perpetuoque commercio conjunctæ; viæ per quas usque ad extremas Orientis partes merces afferrentur, apertæ sunt; denique de commercio et de legibus quibus id regi debeat, nonnulli perspicue sentire cœperunt. Quæ quum ita sint, haud certe in parvo pretio habendus est Nostri liber, quum in illo primum occurrant quasi specimina scientiæ e recentiorum scriptis exortæ, quæ hodie *économie politique* nuncupatur.

VIII. Ut igitur supra dicta quam brevissime repetantur, Sanutus certe ut historiarum scriptor non magni æstimandus, quum facta a cæteris jam memorata iterum proferat, quumque ejus

scribendi genus inconditam latinitatem redoleat; verum inter æquales, quum rerum politicarum, tum belli, artis nauticæ, geographiæ et commercii scientia, primas obtinet, nec dubium quin inter maximos ætatis suæ omniumque temporum viros adscribendus esset, si ei (quod multis defuit) proposita ad optatum finem perducere contigisset.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, ipsis idib. jun. ann. M DCCC LV,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

J.-Vict. LECLERC.

Typis mandetur.

Academiæ Parisiensis Rector,

CAYX.

13

